

X

APOLOGIA  
 PRO  
 JOANNE BASILIDE II.  
 MAGNO DUCE  
 MOSCOVIÆ  
 TYRANNIDIS  
 VULGO FALSOQVE INSIMULATO.

---

Plinius, Epist: III. 9.

Honestissimum credidi, non pre-  
 mere immerentem idque ipsum  
 dixi & libere & varie.


---

VIENNÆ AUSTRIÆ  
 APUD AUTOREM. AO. CIO DCCXI.

*Genus sum de Basilide aduocabat à Basile gauda qui fontè dicit. ib. p. 9.*

*Spontè reges Russi.  
 dit 2 vultu d'empire  
 Vespasien in laezginses  
 ad R. Sybaron. and gaud  
 nisi per polonica p. 3. 4.  
 dicit octavianus Cogan*





## PRÆFATIO.

**H**erculeum opus suscepisse videor vereorque ne totum Acheronta moveam, cum ex damnatis Tyrannorum cancellis Joannem Basilidem II. exsolvere ausus sim. Proh! quanta obstant monstra præjudiciorum, præcipientiæ, autoritatis, infantia, ignorantia &c. mihi disjicienda, conculcanda? Eadem enim me circumstant difficultates, quibus ii fuerunt circumdati, qui Viros summos partim a Magiæ crimine partim ab Atheismo liberare sategerunt: vel qui cum Luciano Phalaridem, cum Boccalino Tiberium, cum Schuppio Neronem, cum Thomasio Wenceslaum, & cum Observatoribus Halensibus Sardanapalum defendendos susceperunt, quibus tamen ingenium magis lusus, quam serias rerum tractationes exhibendi fuisse videtur animus. Plurimi Æthiopem me lavare Orestique pallium texere velle judicabunt, alii præconceptis scatentes opinionibus novitatis pruritus mihi tribuent, alii, qui Joannis Basilidis horrenda facinora vel ex suggestibus abominata audiverunt vel ab Historiolarum compilatoribus multis fucatæ Eloquentiæ flosculis proposita legerunt, impietatis maculam mihi inurent, quod illum defendere non erubescam, in cujus nomine ab infantia exhorrescere consueverunt, & in hanc meam applicabunt Apologiam tritum illud:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Sed veritas invicta manet & de omnibus præposteris hominum judiciis sine ambitione triumphat. Nemo nisi qui ipsis oculis pul-

verem offundat, Joan: Basilidis innocentiam perspiciet, si modo ea, quæ ex ipsis adducuntur fontibus & autoribus nulla passione abreptus secum pensitet. Non quæso, Lector Benevole, in animum inducas tuum, me hunc Moscorum Monarcham in Divorum numero esse repositurum: quod etiam si agerem nec a consuetudine mundi alienum nec in Cœlestium vel Sanctorum concilio inusitatum foret, utpote in quorum Societatem tot Tyrannos, homicidas, adulteros bipedumque nequissimos amplissimo sanctitatis encomio relatos novimus. Absit vero ut lubrica hæc legens vestigia tenebras in lucem transmutare velim Basilidemque variis inquinatum vitiis de omni improbitate absolvam. Homo fuit, qui in tanto dignitatis fastigio positus, communem a fortuna orientem mentis vertiginem sensit, & nonnunquam in utramque partem vacillavit. Sed Tyrannus non fuit, multo minus tanta crudelitate juxta Oderbornium (a) usus est, ut omnes omnium Seculorum Tyrannos longissime anteire videatur. Neque Guagnini (b) effatum veritatis fulcro nititur: Joann: Basilides leges Tyrannidis supra modum justitia judice excedere videtur, qua non solum Prædecessores suos (qui id secundum morem & consuetudinem gentis faciebant) superavit, sed illos omnes Tyrannos, qui ante & post Christum ad hæc usque tempora fuerunt, utpote Neronem, Valerianum, Dionysium, Decium, Maximinum Julianumque & cæteros omnes. Quorum sententiam Petrejus aliique, qui Scriptoribus præcipitanter fidem adhibuerunt, sunt secuti, inter quos Mart: Braschius eandem Parodia quadam ad Phasellum Catulli expressit, (c) quæ cum sit in paucorum manibus hic apponere liceat, ne vituperia Magni istius Ducis videar voluisse occultare:

Tyrannus ille quem videtis inferi  
Merus fuisse ait Tyrannidis Pater,  
Neque ullius ferocientis impetum  
Nequisse prævenire, vel potentia  
Abuti opus malis vel artibus foret.

Et hoc paterna regna Moschici soli  
 Et oppida Astragensium atque fertilis  
 Poloniæque Lithuanicæque agros  
 Negat negare & inclitam Livoniam.  
 Ubi iste nunc Tyrannus unus omnium  
 Quot & fuere & usque Principes erunt,  
 Cluit perenne Principum improbissimus,  
 Ruthene fluminumque Volga maxime  
 Tibi hoc fuisse & esse cognitissimum  
 Ait Tyrannus & tuos cadavere  
 Frequente funerasse dicit alveos  
 Tui cruoris imbibisse rivulos.  
 Et inde tot truci innocentium greges  
 Neci dedisse, civici vel exteri  
 Vel utriusque militem efferam simul  
 Juberet imbui fluore sanguinis.  
 Neque ulla vota principalibus Diis  
 Sibi esse facta, dum teneret impium  
 Tribunal illud ad novissimum hunc diem.  
 Sed hæc prius fuere, nunc superbia  
 Caret priore seque mancipat tibi  
 Hera en Proserpina atque Here en Proserpinæ.

Sed Poëtarum more scripsit Poëtisque aliquid dandum, qui rerum  
 veritatem non adeo curare solent: nec dubito, quin Lector Basi-  
 lidis innocentiam infra sit perspecturus. Fundamenta hujus sen-  
 tentiæ inter legendum mihi sunt subnata: cum enim accuratius  
 in Moscorum Historiam atque Rempublicam inquirerem mente  
 ab omni credulitate aliena, multa sese obtulerunt dubia, cur Jo:  
 Basilidem, cujus vitam multis ambagibus descriptam habemus, in  
 Tyrannorum numero minus recte collocatum crederem & eo  
 prægnantiores dubitandi rationes inveni, quo diligentius partim  
 Characterem Joann: Basilidis partim Moscorum genium partim  
 Reipublicæ Russicæ conditionem partim Historicorum de eo testi-  
 monia

monia atque fidem pensitarem. Ea enim plerumque in describendis Tyrannis Historicorum solet esse conditio, ut aliorum auctoritate vel communi plebejorum strepitu vel publica at fallaci exterorum fama adducti Principi cuidam horrendam Tyrannidis ideam attribuant, qua semel concepta occupantur statim odio in istum, ejus Historiam meditantur Principem, omnia ejus facta ideæ suæ de eodem formatae accommodant, virtutes invidiose proponunt, vitia acerbius exprimunt, conjecturas suas de intentionibus ejus tanquam veritates Lectori obrudunt, multis Epiphonematibus exornant & non tantum sibi metipsis verum etiam posteritati cum magno veritatis dispendio imponunt, quod nisi solis disco expositum esset, facile multis possem demonstrare exemplis. De ipso Joanne Basilide prostant illustrium Virorum testimonia atque judicia, quibus injuriam eidem esse factam abs vitæ ejus Scriptoribus luculenter testantur. Thuanus historica arte & fide celeberrimus monet, (d) immanitates inauditas, ob quas Basilides infamis haberetur a Paulo Oderbornio & Alexandro Guagnino studiosius fortasse, quam veracius descriptas. Ejus vestigia legit Conradus Sam. Schurtzfleischius Vir quondam Ingenio & Eruditione maximus, cujus sententiæ non vulgarem apud Sapientes obtinet locum. In Dissertatione enim, qua Stephanum Razinum Cosacum perduellem exhibet (e) ita de Basilide nostro statuit: Neque de eo, inquit, ambigitur hætenus, quod sæpe multumque ab officio boni Principis recesserit nec pauca præter jus fasque admiserit, illud tamen, nec temere, affirmandum est, pleraque de eo magis odio, quam conscientia factorum prodita fuisse. Autor Genealogiæ Magni Moscoviæ Ducis Coloniae quondam apud Maternum Cholinum editæ & postmodum Autoribus rerum Moscoviticarum (f) præmissæ, asserere non audet, utrum facta illa crudelitatis macula conspurcata naturæ Basilidis nihil immane præ se ferentis an subditorum malitiæ atque perfidiæ sint imputanda. Imo P. Jovius (g) illum ipsum Christianæ Religionis egregium sane Cultorem appellat atque hoc Encomio vul-

vulgarem de illo opinionem remove videtur. Liber Baro a Meiersberg in descriptione Legationis suæ & itineris in Moscoviam (h) ipsi injuriam factam esse profitetur nec illustris Becmannus (i) a mitiori de eo sententia plane alienus; ut alios infra adducendos in præsentis silentio præteream. Ex quibus ad minimum Tibi, L. B., patescit, me neque rem Viro bono honestatisque amante indignam suscepisse neque ex novaturiente ingenio Basilidem a Tyrannidis vitio defendisse, cum istud Viri summi jam dudum crediderint publiceque fuerint testati. Ut tamen id dilucidius Tibi constet, velim hanc meam opellam haud gravatim Lectione Tua digneris & mecum susque deque habeas, quicquid aliorum laus vel vituperium de eadem referat. Ipse tuo judicio omnia degustes & experiare tuoque cum animo cogites illud Plinianum si forte defensionem Tyranni a quibusdam improbari audias: Quod nequaquam blandum est auribus imperitorum, tanto majorem apud doctos habere gratiam debet, quanto minorem apud indoctos habet. (k)

(a) *Lib. I. de Vit: Basil. p: 241. edit: Francof. in Fol. L. 2. p. 268.*

(b) *Descript: Moscov. in Tom: Francof. p: 183.*

(c) *Vid: Carmina Mart: Braschii, Lips. 1595. 8. ejusque Epigrammata.*

(d) *Ad annum 1584.*

(e) *Diss. Hist: Civ. Tom: I. Diss. XLV. p: 8.*

(f) *Francof. 1600. Fol.*

(g) *L. I. Hist. p. 4. Opp: T: I. Fol.*

(h) *Edit. in Fol. p. 57.*

(i) *Hist: Orb: Terr. P. 2. c. 7. p. 664.*

(k) *Lib. 2. c. 19.*

CAP.



## CAP. I.

Quo in genere demonstratur, quam difficile sit  
Principem quendam & in specie Joan: Basili-  
dem Tyrannidis arguere.

### §. I.

**T**yrannorum varia esse genera jam Aristoteles (a) annotavit: plerumque in Scholis Politicorum duæ eorum constituuntur species, quarum una Juris sive Tituli altera usus sive regiminis vocatur. (b) Tyrannus titulo vel jure is dicitur, qui injuste nullo nitens legitimo juris titulo principatum alienum invadit & occupat: Tyrannus usurpatione & exercitio is est, qui legitimo quidem ad Principatum jure gaudet, sed contra Leges & commoda Status vel Reipublicæ pessime eundem administrat. Priori ratione Joan: Basil: Tyrannus dici nequit, cum non tantum legitima successione magnum Moscoviæ Ducatum obtinuerit, verum etiam sine ulla controversia Procerumque contradictione post mortem Patris sui Basili anno ætatis quinto (non septimo ut Chytræus putat) sub tutela Michaëlis Linscii ad Gubernacula Reipublicæ admotus fuerit, quod factum anno 1533. (c)

- (a) *L. 4. de Republ. c. 10.* (b) *Conf. Hottomanni Comm: de Regno contra Machiav. L. 3. præfat. p. 282. Pet. Greg. Tholosanum L. 6. de Rep. c. 19. p. 375. Arnisai Relict. Polit. L. 2. c. 3. p. 610. sqq. Peltzofferus de Arcan: Stat. L. 3. c. 26.*  
(c) *Geneal. Magni Moscov. Dus. Oderborn Vit: Basil. L. 1. p. 251. edit. Francof. & p. 252. Lib: Baro ab Herberstein Comm: Rer: Mosc. p. 19. edit, Franc: in fol.*

### §. II.

**A**st major obstat difficultas circa alteram Tyrannorum speciem, ad quam hætenus Basildem pleno ore retulerunt. Putant enim



eam neminem unquam ab ulla hominum memoria ex his , qui regia dignitate & summi Imperii fastigio claruerunt vel majori crudelitate vel insigniori libidine Joanne Basilde adversus cives & externos esse usum. (a) Si vero dicendum quod res est, omnino nec hoc significato odiosum Tyranni titulum Basilidi tribui posse ob solida argumentorum pondera arbitror , quorum nonnulla generatim proponere liceat. Primo enim commune Politicorum Axioma notandum : Non statim Tyrannus est, qui Tyrannica, sed qui Tyrannice agit. Id actum concernit simpliciter, hoc habitum & causam justæ & adæquatæ denominationis denotat. (b) Difficile insuper est dicere , hanc vel illam Principis actionem esse Tyrannicam. Quis enim inspexit animos & intentiones Principum ? quis ad arcana eorum consilia penetravit & cuinam licuit omnes actionis suspectæ circumstantias accurate novisse. Sane intimiora ejusmodi consilia sæpius ne quidem Augustale egrediuntur, de quibus tamen exteri & remotissimi plerumque

- . - . nasum Rhinocerotis habent.

Res præsentés vix bona fide narrantur nec absque summo periculo audiuntur, inquit Malvezzi. (c) Audiri quidem semper possunt, sed non potest semper de iis judicium proferri. Qui talia emittunt in vulgus, incertam gloriam aucupantur & interim certis periculis se exponunt: vel qui talia scripta posteris relinquunt, præter futuri, frustra persuasi & vani honoris expectationem, nullum fructum ex laboribus suis percipiunt. Lege sis, quæ Puffendorffius hunc in finem egregie philosophatur : Cum, inquit, (d) tanta plerumque actuum civilium sit obscuritas, ut plebs eorum æquitatem aut necessitatem agnoscere nequeat, aut per turbida affectuum sæpe nolit ; ut plurimum quoque Reipublicæ expediat, ne rationes consiliorum pluribus pateant : difficillimum fuerit, presse designare actiones, ob quas patratas jure quis vocari mereatur Tyrannus, in quem quælibet a civibus profecta vis sit licita. Unde fieri poterit, ut ejus vocabuli invidia etiam in bonum

Principem devolvi queat ab iis, quibus vel ipse vel præsens Status displicet; postquam homines per vocabula non solum res sed & suos affectus exprimere sueverunt. • • Tributa graviora imperantur? atqui subditus ad consilia non admissus judicare nequit, an necessitas Reipublicæ ea flagitet. Supplicia aspera sumuntur. Atqui si secundum leges & ex præcedente delicto statuantur, nemo jure queri potest; etsi forte elementia rectius adhiberetur. Quod invidiosissimum vulgo habetur, quidam magni viri ob privata odia aut propter suspiciones innocenter e medio tolluntur? Atqui si delicta aut machinationes in Statum Principis prætexuntur, aut ordinaria judiciorum forma observatur, etsi fors isti, qui tolluntur, de sua innocentia & pauci præterea alii certi sint, reliquis tamen constare id liquido quæ potest? Cum præsertim semper præsumtio justitiæ a Principis partibus stet. Promissa non servantur, aut privilegia antehac indulta circumciduntur? Atqui si Princeps absolutus vel delictum vel necessitatem aut insignem Reipublicæ usum prætendat, jure egisse censetur, de quo subditis liquido judicandi facultas deest. Quæ quam accurate omnia quadrent in Joan: Basil: illum fugere nequit, cui ejusdem Vita parum est cognita. Eadem ratione non inepte Lucianus Phalaridem se defendentem ita induxit: Homines, inquit, (e) crudelitatis me accusant, non valde reputantes ab utro nostrum primum hujus mali initium subintroducendum sit: ea quæ in medio evenere & quam ob rem de civibus nefariis sumtum sit supplicium, negligenter complectentes: pœnas tamen sceleratis civibus irrogatas in crimen vocant easque quæ sibi in illis exercuciandis committi visæ sunt crudelitates.

- (a) *Oderborn: Vit: Basil. L. 1.* (b) *Böcler Instit: Polit. L. 3. c. 3. p. 178. Wächterli Diss. de Monarchia Witteb. 1666. hab. th. 21.* (c) *in Principe p. 2.* (d) *De Jur: Nat: & G. L. 7. c. 8. §. 6. p. 760. edit: Amst. 1704. 4. ubi etiam cit: Bücler. ad Grat. L. 1. c. 4. §. 14.* (e) *in Phalarido l. T. III, Opp. Basil. 1563. 8. p. 216.*

9

§. III.

**H**anc ob causam miramur impudentiam Scriptorum, qui de Jo: Basilide tot facta atrocia minutissimis referunt circumstantiis totque arcanas Basilidis machinationes detegunt, ut autumares, eos Magno Duci ab intimis fuisse consiliis. Afferunt enim in medium intentiones adeo secretas, ut de iis nemini præter Basilidem constare potuerit. Sed laborarunt hac in re communi Historicorum vitio, quo meditationes & conjecturas suas de actionibus politicis rerum tractationi immiscent & Viris maximis affingunt consilia, quorum nunquam iis in mentem venit. Infra pluribus malam Scriptorum Basilidis fidem excutiam & ostendam, quod actionum a Basilide patrarum cognitionem fide dignam, claram atque distinctam nunquam habuerint, partim quia easdem descriperunt juxta relationes suspectas & plerumque ejusmodi hominum, quibus longa in Moscovia captivitas, quæ vel jure belli vel pro ratione Status Moscovitici iis contigit, aut miseria vitæ durioris aut bella cum Moscovitis gesta vatinianum in Basilidem impresserunt odium, partim quia tot vicibus sibi invicem contradicunt & unam eandemque actionem diversissimis & contrariis sæpius circumstantiis recensent, partim quia Basilides, cui ob perfidiam subditorum omnia videbantur suspecta, acerrime arcana sua continuit & instar tonitruum coelestium fragorem quidem & strepitum ad terrendos rebellium animos dedit, causam autem unde profectus fuerit ab omnium oculis occultavit.

§. IV.

**S**ecundo: Probe distinguenda sunt vitia privata a vitiis Tyrannicis. Si enim vitia quævis in Principe Tyrannum arguerent, sane quantus Tyrannorum extitisset numerus. Hinc recte observat Arnisæus: (a) **Q**uanquam Henricus IV. vitiis nonnullis laboravit, non tamen propterea, ut Tyrannus a Papa excommunicari debuit. Et ridicula sunt vitia, quibus Joan: Parvus in sua oratione oneravit Aurelianus Ducem unicum regis fratrem, ut ostenderet,

ipsum Tyrannum esse & jure interfectum a Joanne Duce Burgundia. Plebis quidem vox Tyrannum vocat, quem quacunque ratione molestum sibi sentit: nam qui tributis aut vectigalibus plus æquo cives urget, Tyrannum vulgus appellat & qui contra populi voluntatem quid imperat, ut Aristoteli visum est & qui cohortes prætorias adversus improbos habet aut si conjuratos vitæque suæ insidiatores supplicio afficit. (b) Sed Tyrannus non plebis, sed sapientum judicio denotandus, qui interiorem rerum dispositionem scrutantur verosque a falsis characteribus discernunt. Anne vero putas, etiam hoc in passu Basilidi injuriam esse factam? Evolveras quæso vitæ ejus Scriptores & videbis, quamcunque vitii maculam in hoc Sole illis Tyrannidis esse indicium. Non dissimulo barbaros Mosci mœurs, quos tunc temporis conversatio cum exteris nationibus & inde profluens humanitas nondum emendaverat: nec diffiteor, illum purpuram suam multis & quidem gravioribus tetrisque vitiis commaculasse. Sed monente Barclaji Aneroesto (c) quoties ipsa fortunæ negotiorumque malignitas Reges ac Principes viros summis illecebris præmiisque invitatur ad peccandum? maxime, cum ea occurrunt, in quibus illud, quod æquum est, videtur discrepare ab eorum gloria aut securitate regnandi: tunc quidem simulare ac fallere & dissentire a suis utique verbis egregium in regibus putatur. Quis autem eos omnes Tyrannos dixerit, qui actionibus suis testantur, a se nihil humani esse alienum?

(a) *Doctr: Polit. c. 9. p. 323. sq.* (b) *Bodin. de Rep. L. 2. c. 5. p. 279. Böclerus Diss: Polit. XVI, p: 406.* (c) *Argentinis Lib: 5. c. 12. p. 636.*

### §. V.

**Q**uarto probe animadvertendus est Status Reipublicæ atque Imperii alicujus, an sit ordinarius an extraordinarius. Ordinario sufficiunt mediæ & Prudentia ordinaria, sed extraordinarius requirit remedia, quibus alias ægre uti solent Politici & quæ plane

plane sunt extra usum & consuetudinem communem. (a) In gangræna resecatur membrum morbo afflictum, ne totum corpus succumbat,

Ense recidendum, ne pars sincera trahatur :

& in corrupta Republica acerba sæpius applicanda sunt remedia sine ullo Tyrannidis argumento, ne corruptio accrescat omnisque salutis spes subvertatur. Sic monente Thucydide (b) tranquillæ quidem civitati optimum est, statuta non immutari : at cum in varia distrahuntur, etiam artibus novis opus habent. Sic non facile quisquam adeo clemens reperitur, qui arma universim omnia contra Patriam detestanda arbitretur, civitates siquidem, licet corpora composita sint, habent tamen aliquam cum corporibus simplicibus similitudinem : nam ut in his non raro morbi oriuntur, qui citra ferrum ignemque curari nequeunt, ita in istis multoties tot mala exoriri solent, ut bono pioque civi, licet ferrum ipsum adhibendum sit, minus peccetur eas curare, quam intactas negligere, uti Exules Florentini apud Machiavellum (c) non insulse judicarunt. Sic privilegia semel indulta abolere non statim injustum est censendum, præsertim cum omnia privilegia exceptionem hancce habeant, ni salus aut necessitas Reipublicæ ista observari vetet. (d) Sic cum Princeps plebis furentis animos ac licentiam acerbissima severitate quasi freno indomitam belluam coercet, non debet illa severitas Tyrannis appellari. (e) Nam ad corrigendam subditorum perfidiam ferociamque animum subigendam opus est severitate tempestitiva, quæ principii obstare autoritatemque Majestatis tueri novit. Elegans exemplum exhibet Bodinus (f) in Cosmo Medicæo Florentinorum Principatum ineunte : Is enim, inquit, Alexandro Medice propinquo suo adversariorum conspiratione occiso, cohortes ad corporis custodiam adhibuit, arces extruxit, præfidiis urbem munit, tributa ac vectigalia nova imperavit, quæ medicamenta plebi quidem & licentia populari abutentibus violenta, sapientibus vero salutaria visa sunt, præsertim civitate morbis extremis & incurabili

bili ulcerum multitudine periclitante & in eos cives, qui millies in eum Tyrannum conjuraverant, qui tamen justissimi & prudentissimi Principis laudem est adeptus. Nam sæpe contigit, ut quæ Civitas Principis unius lenitate ac facilitate nimia perierat, acerbitate alterius ac severitate sustentaretur. De aliis exemplis hæc ipsa in quibus vivimus loquuntur tempora, ex quibus patet, aspera sæpius fata, quæ a Principibus ex necessitate injunguntur subditis ob perturbatum Rerumpublicarum statum, nullam involvere Tyrannidem.

- (a) *Conf: Naudai Polit: Bedencken über die Staats, Streiche*  
*c. 2. p: 48. cujus tamen conclusiones universim omnes meas*  
*non faciam.* (b) *L. 1. Hist,* (c) *Hist: Florent. L. 4.*  
*p: m, 264, edit: Lugd, 1645. 12.* (d) *Puff. de Jur: N.*  
*& G. L: 7. c. 8.* (e) *Bodinum de Rep. L: 2. c: 4. p: 269.*  
 (f) *L. c. p: 268.*

§. VI:

**H**æc si Historici rerum Moscoviticarum sub Basilide acrius ponderassent, forte non tanto, quo feruntur, impetu in illum essent debachati. Sed ne cogitasse quidem videntur de hac circumstantia. Nam primo plurimi eorum vel nullam vel maxime confusam temporis notam recensionibus suis addidêre, quam si adnotassent aliis ad minimum collatione instituta colligere liceret, quis tunc temporis rerum in Moscovia status fuerit. Sed nullam vel rarissime temporis rationem habuerunt & facta Basilidis non aliter conscripsisse vel potius cumulasse mihi videntur, quam Aristoteles Historiam suam naturalem & Prætorius nugas suas de Sægis spectrorumque Phantasmatis, qui undequaque cujusvis generis homines de materia sua expiscantes, quicquid ex iis percipere licuit, in tabulas suas bono scilicet ordine refulerunt, nullo admissio discrimine an vera sint, quæ narrentur vel an joci aut fallaciæ causa fuerint efficta. Vel eadem Methodo usi sunt, qua hodiernum nonnulli in Batavia lucri potissimum causa, sed cum

tum summo veritatis Historicae detrimento utuntur. dum nihil-  
rum relationes obscurae humilisque multitudinis vel ut Galli lo-  
qui amant relations des Corps des Gardes undique corradunt &  
nullo habito respectu Chronologiae vel quod palmarium est ve-  
ritatis, ejusmodi ineptias magno conatu evomunt ac sub Com-  
mentariorum verorum titulo & existimationi virorum cum di-  
gnitate tum ingenio maximorum & posteritati illudunt, quales  
jam pridem Baylius (a) atro notavit lapillo. Deinde afferunt  
quidem nonnulla de Statu Moscoviae in genere, sed faciem Rei-  
publicae, qualis fuerit tempore hujus vel illius belli aut Tyranni-  
cae actionis, quam Basilides exercuisse dicitur, ne verbulo at-  
tingunt.

(a) *Response aux Quest: d' an Provinc, T: I. c: 27.*

§. VII.

**P**raeterea nec conveniunt in determinando crudelitatis initio.  
Guagninus enim anno supra millesimum quingentesimum  
sexagesimo Basilidem in insolentiam prolapsum fuisse ferociaeque  
fecisse initium caede Demetrii Owczinini perhibet. (a) Sed Pe-  
trejus caedem illam longo post tempore patratam fuisse innuit. (b)  
Georgius van Hoff ab anno 1566. initium crudelitatis repetit.  
Oderbornius contra illum ab ineunte statim aetate moribus &  
animo crudelem, quomodo reliquum vitae tempus exacturus es-  
set, facile demonstrasse, annos pubertatis egressum caedibus & li-  
bidine patriam replevisse & omnibus pariter injuriosum vitam  
latrociniis transegisse refert, (c) sed neque relata probat neque  
ullum testimonium alius cujusdam Scriptoris cum eo convenit.  
Imo ipse statim sententiam mutat: nam brevi postea anno, in-  
quit, (d) aetatis vigesimo secundo (qui fuit 1550.) aut circiter  
imperio potitus tanta agrestium ac popularium omnium gratula-  
tione ac laetitia exceptus est, ut cuncti ejus adventum se vel fru-  
ctuosissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, utpote qui se-  
nibus ac pueris puellisque in viam effusus ac rustica munera passim  
offe-



offerentibus , non modo pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter ac sciscitando benevolentiam præ se ferret admirabilem & singularem. Non autem diuturnum miseris hoc gaudium fuit. Nam paulo post (en! Tyrannidis initium) in summos ac infimos quacunq; & levi de causa ita crudelitatem asperè admodum exercuit, ut fontes pariter ac infontes acerbissimis pœnis & cruciatibus vexaret &c. Quæ quomodo inter se invicem pugnent facile Lectori judicatu est.

- (a) *Moscov: descript.* c: 5. p: 182.      (b) *Moscovit: Chron.*  
 p: 200.      (c) *De vit: Basilid.* p: 247. *Conf: p: 252.*  
 (d) p: 253.

### §. VIII.

**D**emum odio in Tyrannum occœcati semetipfos in observanda Status dispositione impediverunt. Nam primo statim intuitu Basilidem Tyrannidis damnantes plane non fuerunt solliciti de crimine eorum, quos ille morti tradidit, sed a partibus omnium damnatorum stantes eos sceleris omnisque criminis puros fuisse arbitrati sunt omnemque culpam damnationis in atrocissimam Ducis ferociam animique feritatem conjecerunt. Negligentia itaque hac factum est, ut barbarum autores, qualitates & circumstantias ignoraverint adeoque accuratum de rebus in Moscovia gestis iudicium ferre non potuerint: qua in re ad ipsam lectionem Oderbornii, Guagnini, Georg: van Hoff &c. provoço. Si tamen dicendum, quod res est ex collatione omnium Scriptorum rerumque gestarum Basilidis elucescit, quod rerum status in Moscovia eo tempore maxime turbulentus fuerit severamque Magno Duci extorserit disciplinam. Bella enim continua, quæ cum Tartaris, Livonibus, Lithuanis, Polonisque gessit & miseria ex istis propullulans, quæ Moscos juxta descriptionem Possævini (a) majorem in modum afflixit, nec non absentia Basilidis in debellandis Casanenibus, Astracanensibus, Livonibus occupati, irruptiones & excursiones Tartarorum Moscoviam, Moscuamque metropolim

polim misere devastantium , continuæ victoriæ Stephani Regis Poloniæ , quas anxie Basilides diffimulavit , sine dubio animis Moscorum varios turbidosque impresserunt motus & Duci & regno pericula minitantes.

(a) *In Moscovia Comment: 2. p. 13. 4.*

§. IX.

**N**olo in medium asserre conspirationem Bomelii Medici Angli cum Archi-Episcopo Novogrodensi , multorumque Russorum , qui Tartaros in perniciem Moscoviæ advocabant contra Basilidem &c. Vide modo , quæ in expugnatione regni Casanensis perfidia subditorum Basilidi objecerit impedimenta. Diutius ducebatur obsidio Tartarique obsessi fortiter sese contra Moscos defendebant. Suadebant tunc nonnulli , inquit Oderbornius (a) ut Basilides cum hostibus pacem componeret , si secus fecisset , minabantur , se domum reversuros. Alii ex domesticis & familiaribus in ejus perniciem moliebantur , etiam undique fiebant in eum graves conspirationes. Ipsi quin etiam milites nefaria audacia præcipites insaniebant & belli tædio in seditionem lapsi multis interfectis prope more militiae confugebant : adeo ut stringente nudum ferrum Principe & in medios inter volitantia tela deprecantis habitu procurrente , vix dirempta sit pugna. Ex ea seditione unaquæque natio militum , veluti diffusa aliis , ira & timore consternata , seorsim factis excubiis tetendit : quæ res sicuti Ducum ipsiusque etiam Basilidis auctoritatem imminuerat , ita omnem etiam conficiendi belli rationem conturbavit , sublatoque metu & pudore petulantia militari viam aperuit , adeo ut cunctis reditum in patriam magnopere flagitantibus , totus prope exercitus flagitiosissime solveretur. Bellum itaque ob perfidiosam militum Ducumque inconstantiam & levitatem absolvi non poterat : quare ne malum ex re ista caperetur exemplum , severam in seditiosos poenam decrevit , quos tamen Oderbornius innoxiorum hominum titulo appellat , (b) ne videatur mitius aliquanto de disciplina

plina militari Basilidis judicasse. Sed illa sane nemini improbitur, qui modo partim severitatem justitiæ militaris, quæ nihil fere habet cum domesticis legibus ac moribus commune, (c) partim genium subditorum Basilidis partim periculum seditionis ejusmodi in Moscovia accuratius secum pensitaverit. Nec ullum est dubium, quin Basilides iterum iterumque Moscorum perfidorum conspirationibus vexatus fuerit, quarum frequentia calamitasque inde resultans illum eo deduxit, ut teste Cambdeno (d) Legationem cum arcanis mandatis ad Elisabetham Angliæ Reginam anno 1567. miserit eam sollicitans, ut se cum liberis exciperet, si vel ab hostibus vel a rebellibus pelleretur e Moscovia. Qua de re tamen circumscriptam responsionem abstulisse eandemque inique tulisse dicitur. Cambdenus quidem eam Basilidis petitionem malæ conscientiæ vanoque timori adscribere videtur tanquam indivulsis Tyrannorum comitibus, qui sibi nihil tutum esse arbitrantur, sed si eandem circumspeditionem in rebus Basilidis adhibuisset, qua utebatur amicus, quem inter paucos noverat, Thuanus, aliud plane hac de re tulisset judicium. Vereor enim ne primus conceptus de Tyrannide Magni Ducis a rumore impressus ipsi imposuerit acerbaque judicia etiam hac de re producerit. Non enim aliquid petiit vel egit bono at infelici Principe indignum. Quorsum enim confugisset hostibus undique circumseptus Basilides, qui & Suecis & Polonis & Tartaris invisus priorumque subditorum perfidiam sæpius expertus erat? Anglia restabat, ad cujus Reginam urgente necessitate refugiendi erat animus. Nec improbari potest ejus indignatio, qua circumscriptam Reginæ responsionem accepit, cujus subditis tantam exhibuerat gratiam. Eodem enim affectu fuit perturbatus, quo Carolus II. Rex Angliæ superiori seculo in Batavos ferebatur, ad quos se recipere volebat de felici contra rebelles successu maxime anxius, qui tamen politicis rationibus adducti refugium illi aditumque quæsitum denegabant. Basilidis tamen petitis iterata Legatione anno 1569. annuit Regina Angliæ ipsique sanctissime  
verbo

verbo Principis Christianæ coram Legato & intimis Consiliariis promisit sigilloque confirmavit, se velle illum, uxorem & liberos omni honore tanto Principe digno excipere & tractare, locum perendinationi commodum assignare, suæ religionis cultum & facultatem discedendi pro arbitrio libere permittere, si ille quocunque casu solum mutare vel a domesticis vel externis hostibus adactus fuerit: hæc enim ille in arcanis illis literis summo-  
 pere efflagitaverat. (e) Male quidem interpretatur Cambdenus Basilidi, quod indignanter Reginæ exprobraverit, quod nullam in Moscoviam remiserit Legationem cum suo Legato Gregorivitzio Saviena ad recipiendum jusjurandum, quo fœdus cum Regina sancitum confirmare decreverat & exinde Regiam sui nominis atque honoris negligentem lucroque tantum inhiantem esse arguerit minatusque sit, se velle revocare privilegia Anglorum societati large concessa. Sed quæso in quonam peccavit Basilides? quis improbat in eo zelum gloriæ & honoris, quo ferebatur ob contemptum, quem ex omissione Legationis recipro-  
 cæ non sine fundamento in Regina collegerat. Ipsa quoque Elisabetha animum ejus, quem offenderat delinitura, misso Anton: Jenckinsonio juxta Cambdenum iram ejus sedavit amoremque in Anglicam nationem non sine emolumento conservavit.

(a) *L. 2. de Vit: Basil. p. 270.* (b) *l. c. p. 271.* (c) *Bo-*  
*dinus de Rep. L. 3. c. 1. p. 337.* (d) *P: 1. Hist. p: 126.*  
*edit: Lugd. 1625. 8. maj.* (e) *L: c: p: 155.*

### S. X.

**S**everitas itaque, qua in turbulento Reipublicæ Statu Basilides animos feroces compescuit, Tyrannidis titulo venire nequit. Hoc apparet quinto, si perpendamus in denominando Tyranno prius caute respiciendum esse ad genium populi, cui ille dominatur & an populus asperam & austeram mereatur vel requirat disciplinam. Novi equidem ubique monstruosum plebi esse ingenium sibi ipsi non constans facileque rationis & bonæ mentis

dictamina rejiciens. Le peuple, inquit Charron (a) est une bête étrange à plusieurs têtes et qui ne se peut bien decrire en peu de mots, inconstant et variable, sans arret non plus que les vagues de la mer, il s'emeut, il s'accoise, il approuve et reprouve en un instant meme chose, il n'y a rien plus aisè, que le pouffer en telle passion, que l'on veut, il n'aime la guerre pour sa fin, ny la paix pour le repos, si non entant que de l'un à l'autre, il y a tousjours du changement. La Confusion luy fait desirer l'ordre et quand il y est, luy de plait. Il court tousjours d'un contraire à l'autre de tous temps : le seul futur le repait, hi vulgi mores, odisse præsentia, ventura cupere, præterita celebrare &c. Quare in genere circa vulgus observatur, quod bellua ista artibus Herculeis sit domanda. Nam tous les Politiques juxta autorem Testamenti Richeliani (b) sont d'accord, que si les peuples estoient trop à leur aise, il seroit impossible de les contenir dans les regles de leur devoir : leur fondement est, qu'ayant moins de connoissance, que les autres ordres de l'Etat beaucoup plus cultivez ou plus instruits, s'ils n'estoient retenus par quelque nécessité, difficilement demeureroient-ils dans les regles, qui leur sont prescrites par la raison et par les Loix.

(a) *Sagesse* L. 1. c. 48. p. 217. edit: Elzevir. 1662. 12. (b) *Testam. Polit. du C. de R.* P. 1. c. 4. Lett: 5. p. 139.

§. XI.

**S**ed non sufficit nosse characterem Plebis in genere : noscendus quoque est genius illius populi in specie, cui Tyrannus imperare dicitur. Differunt enim gentes & cœli regionisque temperie & animorum dispositione, quod attento Historiarum Lectori notissimum. Tam civitatum teste Livio (a) quam singulorum hominum mores sunt : gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ : in vinum in Venerem proniores aliæ sunt. Sic quorundam indoles tantæ servilitati subjecta legitur, ut respuat lenitatem suorum Principum nec superos metuat, nisi tonantis

nantis induant speciem. Cum iis leniter agere indicium metus est : metus vero indicat , nos posse offendi. Ubi autem inquit Malvezzi (b) id intelligunt ejusmodi subditi, statim etiam offendere volunt. Qui a tali populo non metuitur ipse populum metuit. Motus ejus facilius a fortibus viris , quam a prudentibus sedantur , quia vim pluris faciunt , quam ingenium & potius se cogi patiuntur, quam persuaderi. Diversa igitur regnandi ratione opus est pro diversitate populorum & quorum ferocia lenitate redditur ferocior, iis sane violentius officia boni civis sunt extorquenda. C' est de Dieu, monet Jean de Marnix (c) que les Superieurs peuvent apprendre ce traict, a sçavoir, que leurs sujets ne se contentans des eaux de Silœ, qui coulent tout doucement, ils leur en font sentir des roides et vehementes. (d) C' est a dire, que voyans, qui ne gagnent rien sur eux par la douceur, ils y procedent a la rigueur, ils usent de violence et appliquent le cauter. Quo etiam pertinet, quod Besoldus (e) ex Scriptore quodam Septentrionalium de rusticis in Livonia refert, misere enim eos tractari & virgis ad necem cædi scribit, si quid deliquissent. Horum conditionis misertus Rex Poloniæ Stephanus a plagis & verberibus vindicare & multam si peccassent imponere voluit. Illi vero ægre hoc admodum ferentes, se omnia dura malle perpeti, quam ut novitas aliqua introduceretur affirmarunt. Adeo proclives illi erant ad servitatem. (f) Hac ratione excusatur moderna Hispanorum severitas, qua efferos Indorum animos in ordinem cogunt motusque violentos carceribus quasi sopitos reprimunt. (g) Suetus servituti oriens non sequeretur imperantium placita, nisi repugnanti ferissimarum gentium naturæ poenarum acerbitate calcar adderetur. Ricaut hunc in finem in Tractatu de Statu præsentis Turcici Imperii bene de eodem judicat: (h) La Tyrannie, sub qua despoticum vel absolutum Imperium intelligit, et la Servitude ne sont pas seulement necessaires parmi les peuples, pour les empêcher de devenir mutins et seditieux en jouissant d' une liberté, qui leur est inconnüe, ils en ont

encore besoin , parce que la grande etendüe de cet Empire demande de promptes Expeditions sans s' arreter a des formalitéz de justice , qui pourroient prolonger les affaires. Eadem animi nequitia in rusticis Galliaë causa est , cur & paupertate & servitute sint premendi : nam les paysans en France , quand ils sont a leur aise , sont mechans & tuent leurs Seigneurs. (i) Ex quibus patet , illum non posse Tyrannum dici , qui artes regnandi genio subditorum accommodat & duriore disciplina animos ferocientes asperius coërcet , ne cum summo Reipublicaë periculo extra orbitam ferantur.

- (a) *L. 45. c. 23. p: m. 758.* (b) *In Principe p: 99.* (c) *Resolutions Polit: & Maxim: d' Etat. Lett: VII. ref. 3. p: 384. edit: a Brussel 1629. Fol.* (d) *Esaia c. 8. v. 6.* (e) *Class. 1. Diff: Polit. 5. th. 21.* (f) *Conring: Diff: de Regno & Tyrannide §. 18.* (g) *Imhoff: Staats: Reguln n: XXII. p: 159.* (h) *L' Etat present de l' Empire Ottom. L: 1. ch: 1. p: 7.* (i) *Perroniana sub voce Püssans p: 234. edit: Genev. 1669. 8. Conf. Bayle Reponse aux Qu: d' un Provinc: T. 1. c: 65,*

### §. XII:

**E**xpendamus nunc , quales fuerint Basilidis subditi , & indolem , quæ tunc temporis in Moscovitis viguit , apertius enucleemus. Evolvamus Hodoeporicon Ruthenicum Jacobi Ulfeldii Legati ad Joan: Basil: a Friderico II. Rege Daniaë missi , de quo pluribus infra. Hic non tantum affirmat. (a) Russos tunc temporis moribus fuisse agrestissimos & corruptissimos , ut si cum aliis hominibus excultis conferantur illis ludibrio esse potuerint & deridendos propinari , quasi nihil vel parum a brutis differentes : Sed ulterius eorum mores his depingit coloribus : (b) sunt callidi , versuti , pertinaces , effrenati , adversi & aversi , perversi , me dicam impudentes , ad omne malum proclives , utentes violentia pro ratione , quique virtutibus mihi crede , omnibus nuntium remise-

miserant. Nec omittendum est insigne testimonium, quo Basilidem falso Tyrannidis accusatum fuisse confirmat: (c) Experti etiam sumus, inquit, rumorem de Muschovita passim sparsum longissime a vero abesse, quod tanta sævitia, tantaque Tyrannide subditos suos regat inque tantam servitutem eos adduxerit, ut mandatis ipsius minime resistere audent, sed ad omnia exequenda promptissimos se exhibeant, cum potius pertinaces, inobedientes & ad omnia vitiorum genera sint proclives: non enim poterant nostri Præstablii vel equum vel currum vel agitatore[m] ab ullis civitatum incolis in nostrum usum sine verberibus habere, sed omnes loris, baculis fustibusque ad terram prostrati sunt, antequam necessaria se procuraturos promiserint, nec diutius obsequium præstabant, quam sese evadere posse conspiciebant, in via, quoties fieri potuit vel equos, quos dederant, auferebant vel ipsi aufugebant. Quid quæso agendum in tanta pervicacitate populi? Dicite, quidnam faciendum sit, inquit Phalaris apud Lucianum; humanitate ne erga illos amplius utendum est concessaque impunitate perditorum civium malignitati & nefariis conatibus parcendum & dissimulanter ferendum scelus illorum est? (d) anne putas severas illas castigationes, quibus quodammodo Basilides in tam petulanter protervos animadvertit subditos, ad Tyrannidis injurias esse referendas?

(a) p: 18. edit: *Francof.* 1627. 4. (b) p. 36. (c) p: 27.  
 (d) *Lucian, T. 3. Opp. in Phal: l. p: 217.*

### §. XIII.

**N**ec solius Ulfeldii iudicio hac in re nitimur: Ipse Guagninus, qui Basilidis crudelitates enarrare satagit anxie, antecessores ejus eorumque austeram facta excusat, quod id secundum morem, & consuetudinem gentis fecerint, (a) Basilidem vero morem Legesque illius Tyrannidis excessisse judicat, de quo postmodum pluribus. Paulo ante affirmat incertum esse, an Moſchi suis moribus conformem Tyrannum exigant, a quo insolentia eorum domari





mari possit & adducta fabula, quod ex verberibus notam amoris capiant, concludit, eos suis moribus conformem Dominum velut quondam ranæ regem ciconiam necessario exigere. Si vero necessario exigunt asperum regnandi modum, cur imputatur iste Imperanti tanquam injusta Tyrannis? Verbera, quibus pater filium contumacissimum maleque morigerum compescit & intra cancellos honestatis detinet non patris immitiori animo, sed filii proterviæ sunt tribuenda. At vero multo severiore disciplina opus est in ejusmodi subditos, quorum ferocia periculosior est majorique difficultate domanda. Tales fuisse Russos Barclajus quoque testatur: Servituti, ait, (b) gens nata, ad omne libertatis vestigium ferox est; placida si prematur. Cum quo coincidit Becmanni testimonium, gentis indolem ita esse comparatam, ut aliter quam absolute regi nesciat. (c) Nec dubium Russos ita esse comparatos, cum gens sit avaritiæ maxime dedita, adeoque insidiis, fraudulentia, perjuriis omnibusque vitiis, quæ hanc passionem consequuntur, obnoxia, uti pluribus argumentis Baro de Mayerberg (d) deduxit. Ex quibus omnibus patescit, plurima, quæ in regimine Basilidis severe peracta fuerunt, non statim Tyrannidis incusanda, cum vix ac ne vix quidem aliter agere licuerit ob populi genium severis mediis coercendum.

(a) *Descript: Mosc. p: 183.*

(b) *Icon. Anim. c. 8. p. 249. edit:*

*Buchner. Conf. Puffend: Einleitung zur Historie T. I. p. 706.*

*Ø 708. edit: noviss.*

(c) *Hist: Orb: Terr. P: 11. c: 7.*

*p: 662.*

(d) *lin: in Mosc. p: 48.*

#### §. XIV.

**H**inc sequitur sexto, quod ex pœnarum acerbitate Tyrannus non statim denotari possit. Licet enim primo intuitu oculis vulgi minusque attentis nulla appareat proportio inter pœnam atque delictum, punienti tamen scelerum vindici rerumque & rationis status intelligenti de eadem probe constare potest. Illud enim ignorantia hominum imputandum, quibus arcana Status

Po.

Politici non sunt reserata & qui nimis præcipitanter modulum ingenii sui transcendentis de quantitate actionum satis præ autoritate decidunt, quarum circumstantias vix primis labiis delibasse licuit. Sed in pœnarum dijudicatione accurate observandum est, quod delicta, quibus infliguntur, ex eorundem objecto & prout multum parumve damni in Rempublicam inde redundat & ex intentione malitiaque delinquentis sint æstimanda. (a) Posita itaque Republica, cui ex minimo delicto vel directe vel probabiliter maxima damna subnasci possunt, nullum est dubium, quia delicta alioquin minora gravissimis & quidem justis vindicentur pœnis, præsertim cum illa damna magis minusve æstimentur pro subjectorum, temporum, rerumpublicarum, disparitate, felicitate, infelicitate, affectu & connexionem cum malis gravioribus. Hanc ob causam apud Tartaros & Moscovitas, teste Reiffenbergio (b) levissima furta morte puniuntur (quod tamen de Moscovitis aliter refert Herbersteinus, (c) ipsaque Statuta gentis Moscorum itineri Mayerbergii adjuncta negant) quia in tuguriolis aut casis humilibus fortunæ cujusque positæ sunt: eademque hujus pœnæ ratio est, quæ apud Scythas (quos forte sub Tartarorum nomine Reiffenbergius intellexit) Justino autore obtinuit quondam: Nul- lum scelus apud eos furto gravius, quippe sine tecto munimentoque pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret? Sic quoque apud Moscovitas usus Tobaci gravissimo punitur supplicio severissimoque interdictus legitur decreto, quia compertum est, ex negligentia eorum, qui herbæ istius fumum attrahunt, ignem fistulis fumiferis conceptum sæpissime ligneis in Moscovia ædificiis admotum fuisse ingentiaque excitasse incendia.

(a) *Puffend: de Jur: Nat: & Gent. L: 8. c: 3. §. 28. p: m. 815.*

(b) *In not: ad Boteri Politiam regiam p: 221. c.) p: 39.*

§. XV.

Quod dum neglexerunt ii, qui actiones Basilidis, ut volunt, Tyrannicas scriptis mandarunt, in multos lapsi sunt errores.

D

Nul-

Nulla enim habita ratione quantitatis delictorum damnorumque quæ ex delictis ortum ducere potuissent, nil aliud egerunt, quam ut extenuarent crimina delinquentium, uti supra notui, & atrocitatem pœnæ exasperarent. Ut brevitatis causa ex multis aliis unicum afferamus, Demetrii Occinini cædem expendere liceat, quæ initium omnium crudelitatum Basilidis constituisse perhibetur. Hunc neci traditum perhibet Guagninus, (a) quod cuidam juveni Theodoro Sodomiam abominabilem, quam cum Joan: Basilide commississe dicitur, exprobraverit, qui postea Basilidem in Occininum instigans causam necis præbuisse fertur sub hoc prætextu: Occininum poculum de manu Principis acceptum uno haustu non ebibisse & Principis Majestatem contemnere esse visum. Verum aliam plane subesse causam ex his colligere licet. Nimirum Oderbornius (b) & qui eum sequitur Petrejus (c) affirmant, Occininum potissimum ob convitia quædam in Magnum Ducem conjecta fuisse interfectum eumque Basilidem his carpisse sermonibus, quod Patris Basilii Patriæque mores subverterit. Citati quidem Scriptores negligentes atrocissimum hocce, quod ipsi fatentur, crimen Occininum insontem prædicant: sed ipse quicumque es, qui hæc lectione tua dignaris, judices, ane hi Occinini sermones tantam sustineant culpam, ut auctori suo necessario mortem consciverint. Nam talis modi verba publice in populum jacta ad excitandam rebellionem turbandam Rempublicam animosque ab Imperante abalienandos spectant & cum summo sceptri amittendi periculo sunt conjuncta, præsertim cum fundantur partim a Viro magno (d) dignitate Principi proximo (e) præcipuoque Status Ministro, (f) qualis Occininus fuit, partim in tali Republica, in cujus horizonte ex minimis seditionum nebulis maximæ oriri solent tempestates. Nec subsequens eventus refragatur justæ Basilidis causæ: paulo enim post necem Occinini Basilides gliscentem seditionem motusque animorum undulantes animadvertens prudenti dissimulatione imminens discrimen evasurus abitum parat, regno, quo indignus a multis judicari jure que-

querebatur, sese abdicare fingit Monasterioque ad tempus includit, usque dum a tremulis revocatus Ministris deque populorum desiderio & amore certus in Metropolim revertit & cognitis seditiosorum animis, eos, a quibus maximi motus erant extimescendi, e medio sustulit, in quos antea de sententia populi animoque erga sese dubius urgente licet necessitate sine discrimine animadverti posse non putabat. Quæ tamen omnia a supra citatis autoribus more solito gravissimis & ignominiosissimis premuntur suspicionibus, facile a veritatis cupido disjiciendis.

(a) *Descr: Mosc. p: 184.* (b) *De Basil: Vita p: 283.* (c) *Moscosvit: Chron: P: II. p: 200.* (d) *Gnagninus l: c.* (e) *Oderb, l: c.* (f) *Petrejus l: c.*

### §. XVI.

**Q**uod reliquum est septimo loco ad formam Reipublicæ Imperiique normas, scopum & finem respiciendum est in imponendo Tyranni titulo. Cum enim is Tyrannus dicendus, qui leges Reipublicæ violat Tyrannisque nil aliud sit, quam violentum unius imperium præter mores & leges (a) necessario sequitur, quod nemo Tyrannidem æstimare possit, nisi qui Jura Status ex parte imperantium & parentium accurate cognoverit. (b) Videndum ergo est, an Imperium Regibus quibusdam & Conventibus circumscriptum & ad hunc vel illum regnandi morem restrictum: vel an Imperantis arbitrio & judicio una cum omnibus bonis & facultatibus a subditis relictum fuerit, ita tamen, ut is pro prudentia sua juxta leges naturales utilitatem Reipublicæ judicet atque promoveat sive ut paucis me expediam, an sit Imperium limitatum vel absolutum. Si absolutum sit Imperium observare licet, an Leges naturales ad Reipublicæ subditorumque salutem spectantes ab Imperante fuerint violatæ: in aliis enim officiis licet a norma legum recesserit, non tamen propterea Tyrannus dicendus, cum tantum privata inde sequantur vitia, quæ Rempublicam non attingunt & ut ex superioribus constat, nulla

Tyrannidis sunt testimonia. Admodum autem difficile est dicere, Leges naturæ circa Rempublicam severitate nimia ab eo esse violatas, qui absolutum tenet imperium, cum partim intentionum arcana partim legum istarum accuratæ interpretationes, limitationes, exceptiones & secreti influxus in actiones perpetratas partim circumstantiæ ex moribus & consuetudine gentium concurrentes ut plurimum a publico ignorentur, limites talis modi Imperii minus recte determinentur & quæ sunt ex usu hujus vel illius Reipublicæ generaliter & confuse admodum percipiuntur. Non enim vulgo distinguuntur a se invicem regna atque imperia, sed quod quisque patriæ suæ Reipublicæ convenisse vidit, id etiam ad comoda aliorum Statuum pertinere judicat nec observat, eandem Rerumpublicarum ac corporum esse rationem & quod alterius constitutioni salutare, id alteri noxium atque damnosum esse solere. Exinde accidit, ut multi Historicorum mediæ fortis in aliis improbent Principibus ea, quæ methodo regnandi istius, in qua vivant, Reipublicæ adversantur, quod quidem vulgare, homine tamen politico Historiarumque gnaro indignum appellatur vitium.

(a) *Lipf. L: 6. Polit. c: 5.*      (b) *Böcler Diss: Polit: XVI. p: 402.*

### §. XVII.

**Q**uod Moscoviam attinet dubium non est, quin absoluto subsit imperio, cum omnes uno ore illud testentur. Tzarius eorum, monente Puffendorffio (a) absolutus est Monarcha, qui pro arbitrio Imperium administrat & cui omnes, qui eidem subiecti sunt instar mancipiorum obedientiam præstare tenentur. Autoritate sua referente Herbersteinio (b) & qui eum exscripsit Guagnino, (c) tam in spirituales quam seculares utitur libere ac ex voluntate sua de omnium & vita & bonis constituit. Leges, quibus utantur, ut Heidensteinus (d) perhibet, paucas admodum tunc temporis habebant, eamque ferè solam, ut Principis voluntatem pro Lege observarent. De eo ita illis persuasum est, Me-  
tropol-

tropolitatis maxime opinionem hanc eorum juvantibus, per Principem tanquam interpretem Deum secum conjungi: ac prout de Deo meriti sint, ita Principem vel benignum in se vel asperum esse. Neque abnuunt jugum, ut cum Barclajo (e) loquar: ultro fatentur Principi se servire: illi in suas opes, in corpora vitamque jus esse. Sordidioris reverentiæ humilitas Turcis non est in suorum Ottomannorum sceptrum. Russici enim Principis regimen, uti ex descriptione Russiæ Elzeviriana (f) patet, ferè se habet ad Turcici Imperii modum, cujus principia politica studiose videtur imitari. Nam primum omnia sibi vindicat & non modo vulgus, sed & nobilitatem duro servitio premit & populum gravibus tributis exhaurit &c. adeoque in unum ipsum Principem omnia congeruntur, civitates, oppida, pagi, domus, agri, prædia, sylvæ, lacus, flumina, honor ac dignitas. (g) Sic hac ratione de personis subditorum & ipsorum rebus absolute disponit adeoque Mahumetes Vesirus dixisse fertur, quod Moscus & Turca soli inter Principes essent Domini suorum dominiorum. (h)

- (a) *Einleit. zur List. T. I. c. II. §. 7. p. 708.* (b) *Rer. Mosc. Comm. p. 11.* (c) *l: c: p: 182.* (d) *de bello Moscovit. cum Steph: I. L. 1. in Tom: Script. Moscov. Francof. p: 334.* (e) *Icon. Anim: c. 8. p: 249.* (f) *p: 79. & 174. edit. Lugd. 1630. 24. eadem leguntur dans les Empires & les Principantez du Monde p: 759. edit: Genev: 1665. fol.* (g) *Possevinus de reb: Moscov. Comm: 2, p: 15. l.* (h) *Descript. Mosc. Elzevir. p: 174.*

### §. XVIII.

Quibus cognitis videre est, quam injuste Basilides accusetur, quod Provincias, agros, prædia &c. Ducibus, nobilibusque suis eripuerit, in alios contulerit & pro lubitu de iis constituerit. Nam scriptores non reflexerunt ad absolutum, quod tenuit Dominium eosque latuit interna Moscoviæ dispositio. Cum potestate enim Knesiorum Bojariorumque ita fere erat comparatum,

uti tempore Caroli M. cum Comitum dignitate, quæ non fuit continua nec perpetua, multo minus hæreditaria, sed pro lubitu Imperantis ea Dignitas & Provinciæ iis tanquam Magistratibus traditæ detrahi aliisque cum eadem dignitate conferri poterant. Sane risu fuisset prosequendus Basilides, si Ducibus Nobilibusque suis connivendo suppeditasset occasionem reddendi administrationes suas Provinciarum hæreditarias & acquirendi potentiam, qua in ipsum insurgere facile potuissent. Neque vero magis exitiabilis error Monarchiis in primis plenis ac absolutis accidere potest, quam si ejusmodi administrationes fiant hæreditariæ. Nam est quidem regia laus bene meritos magnificis mactare præmiis. Verum si Dominus omnes servos suos libertate velit donare, ipse deinceps puto sibi calceos purgabit. Et magis quidem obstringitur bono aliquo pater, quod in filium se transmissurum novit: sed quo ardentius filium amat, eo magis dabit operam, ut in bonum illud alteri, quam minimum juris sit. Sic majori cura solemus prosequi res nostras, quam alienas. Sed non ideo bonus paterfamilias statim fundum suum colono donat. Ut rebellionibus præsidium obviam eatur, minus sumtuosa dantur remedia, quam ut Provinciarum administratio hæreditario jure ipsis concedenda sit. Illud vero valde absurdum, Imperantis Majestatem inde æstimare, quod multos in sua ditione habeat, qui ipsius Imperium impune possint spernere. (a) Nec obstat Basilidem quosdam subditorum suorum iis, quas jure hæreditario ex concessione præcedentium Ducum Moscoviæ obtinuerant Provinciis exuisse: hin enim animadverso majorum errore & observato in Ducibus abusu concessæ potentiæ privilegia illa, quæ in præjudicium absoluti Imperii ex præcipitanti Liberalitate donata salva Reipubl. tranquillitate conservari non poterant omni jure abrogavit inque pristinum statum redegit: Omnia enim privilegia ut ex Puffendorffio (b) supra monui, exceptionem hancce habent, ni salus aut necessitas Reipubl. ista observari vetet. Sed ne magis ideas meas de qualitate Ducum in Moscovia,

Moscovia,

scovia, quam veram rerum faciem proposuisse videar testem in medium producam hac in materia omni exceptione majorem. Ita enim Possevinus Legatus Gregorii XIII. ad Basilidem. (c) Jam civitatum aut Provinciarum Reguli nulli sunt, quos Duces apud nos vocare mos est: eo tamen nomine, ad existimationem sibi seu potius Principi conciliandam sive ad Præfecturas utuntur: verum res ipsa deest. E Tartaris quidam, qui fidem Principi huic (Basilidi) in expugnandis Casanensibus ad Rutenum ritum & Schisma accedens, præstitit, cum etiam partem quandam suæ ditionis reliquisset, Columnam oppidum & alia nonnulla accepit: sed pene merum imperium manet apud Moscum præter aliquos redditus ei attributos ac demendos, ubi libuerit. Pagos & agros si cui addicit, ii ad posteros non perveniunt, nisi confirmantur a Principe: cui tamen rustici ex fructibus inde tributum & operas pendunt, uti & Domino faciunt: reliquum, quantumcunque est victui suo reservant aut eximunt. Ea re fit, ut nemo verè dicere possit sibi quicquam esse proprii: & (velit, nolit) quisque ab nutu Principis pendeat. Si cui plura sunt, tanto magis se devinctum agnoscit: opulentior autem factus, tanto sibi metuit magis; quippe ad Principem sæpe omnia recidunt. Inde quoque existit sive commodum sive cautio, nullus ut audeat hiscere; transferendis autem familiis vel hominibus ad varia præsidia potius relegandis quam mittendis, præcitantur conjurationum viæ. Hucusque Possevinus. Nec est quod objicias, Basilidem primum omnia in istum servitutis statum cœgisse: evolvas quæso Herbersteinii Commentarios, (d) qui de temporibus Basiliæ, Patris Basilidis idem luculenter testantur & una cum Petrejo aliisque confirmant, Joan: Basilidem I. fundamenta hujus Imperii, si non jecisse, tamen restaurasse.

(a) *Monzambano de Statu Imp: Germ. c. 3. §. 2. p. 147. sqq. edit: Titian.* (b) *de J. N. & G. L. 7. c. 8. §. 6. p. 760.* (c) *De Reb: Moscov. Comm: 2. p. 15. b.* (d)



## §. XIX.

Denique octavo in denotando Tyranno vulgaris evitandus est error ; ne scilicet Catalogum actionum illarum , quas tot Scriptores Politici, ut notas Tyrannidis indubitatas compilaverunt, in imponendo ejus nomine tanquam normam sequamur. Prolixe satis illum recensuerunt Aristoteles , ( a ) ex Bartholo Hottomanus ( b ) Bodinus ( c ) Boxhornius ( d ) Böclerus in Tiberio ( e ) Reinhardus ( f ) aliique qui de Tyrannide verba fecerunt. Licet enim multæ, quæ referuntur, actiones omnino aperta Tyrannidis sint flagitia pleraque tamen ita sunt comparata , ut optimis quibusque Principibus competant suaque gaudeant bonitate , quam a Tyranno ad malum dirigantur finem. Ii ergo Scriptorum, qui actiones jam jam citatas una cum intentione agentis & directione earum ad finem, quem Tyrannus sibi præfixit, connectunt conjunctimque hac ratione tanquam characteres Tyrannidis proponunt, accurate satis rem egisse videntur ; modificatur enim actio intentione & modo agendi , quem Tyrannus adhibet. Verum enim vero pauci hanc docendi tractandique Methodum observant , actiones potius generaliter describunt & inter Tyranni characteres annotant. Sic v: g: exploratoribus uti, dissidia quodammodo inter subditos fovere, subditos plebejos in egestate detinere, externis magis, quam popularibus credere &c. &c. media sunt, quæ quidem communiter inter artes Tyrannicas relata videmus, quibus tamen posita hac vel illa Monarchia ejusdemque ratione status optimus quisque Princeps salva sua bonitate uti potest, quæque a viris πολιτικοτάτοις inter prudentissima & saniora status arcana referuntur ( g. ) Pars enim disciplina Politicæ est, in legendis autoribus discernere quidem diligenter, qua quidque mente factum sit , quo facientis consilio gubernatum ; interim tamen non negligere ea, quæ sinistro proposito sane, sed bonis sententiis ac rationibus geruntur, quas segregata personæ hypothese, recte nimirum licet ac ordine rebus accommodare. ( h ) Deinde attributa illa, ex quorum concursu Tyrannum constituunt

Poli-

Politici teste Arnifæo (i) maximam partem aut vitia privata sunt, quæque ad Tyrannidem non pertinent aut etiam Tyrannis natura posteriora. Accedit & hoc, quod istæ Tyrannorum notæ ab autoribus colligantur, qui amore Patriæ & favore domestico vel aliis quibusdam causis adducti Principi cuidam tyrannidis inculcato sunt infensissimi adeoque quicquid ab eo actum legunt vel percipiunt statim in odiosum Tyrannidis sensum detorquent indeque Characteres ejusdem generales colligunt. Sic Belgæ ex vita Philippi II. vel Ducis Albani, Itali quondam ex vita Ottonis III. Henrici VI. Ludovici Bavari aliorumque Imperatorum, Angli nonnulli ex vita Caroli I. plures ex Cromwelli actionibus, Galli ex Ludovici XI. factis notas Tyrannorum auxerunt, quibus tamen multa possent opponi. Demum maxima oritur difficultas in applicandis istis characteribus ad alia exempla principum, cum ex intentione potissimum & directione qualitas earum actionum sit dijudicanda, intentio vero & directio vix ac ne vix quidem oculis nostris in aulis Principum pateat, ut supra monui, sed illi instar serpentum caput huc vertant illuc tendentes. Quibus pensitatis plurima Basilidis facta nemo non benignius interpretabitur, vident, non statim ad Tyrannica pertinere, quæ Tyrannidis vulgo inculcantur & de intentionibus Basilidis autoribus non constare. Exterorum præsidio usus est Basilides, exploratores fovit, dominium confirmavit, absolutum quod tenuit Imperium, acerrime propugnavit, in puniendis sceleribus severitatem admisit, auctoritatem apud Deum anxie præ se tulit, dignitatem splendoremque Majestatis mirum in modum ostentavit, populum blanditiis quodammodo demulsit, veneri nonnunquam litavit, iracundiæ locum dedit &c. sed hæc omnia aut sunt vitia privata aut media rationi status genioque populi necessario accommodata, quibus nequaquam rempublicam Moscoviticam subvertit nec subvertendi animum habuit.

(a) *de Republ.* L. 5. c. 11. p. 245. *edit Casaub.* in Fol. (b) *Anti-Machiav.* pref. L. 3. p. 282. (c) *de Republ.* L. 2. c. 4.

- p: 263. (d) *Polit. L. 2. c. 4. p. 426.* (e) *Differt: Polit. XVI. p. 412.* (f) *Theat. Prud. ad Lips. L. 2. c. 6. not. 4. 2. p. 572. adde autores nonnullos citatos ab Arniseo Doct. Polit. c: 9. p: 323. vel relect. Polit. L. 2. c. 3. p. 599.*  
 (g) *Conf. Imhoff's Staats-Reguln passim: item Lipsium.*  
 (h) *Böcler Diss. de Polit. Lips. c: 5.* (i) *Doct. Pol. p: 323.*

§. XX.

**H**is omnibus in unum collectis colligere licet, Basilidem nullo modo regnum violenter invasisse, sed absolutum jureque hæreditario acceptum imperium strenue conservasse; severe, sed non tyrannice egisse; vitia, sed non tyrannidem exercuisse, Statui Reipublicæ extraordinario extraordinariis mediis succurrisse; genio perfidissimi & contumacissimi tunc temporis populi acerba remedia objecisse, in pœnis exercendis vim justitiæ adhibuisse membraque nonnulla resescasse, ne pereat Moscoviæ tranquillitas; Leges regni, quas ipse dedit liberrime, nunquam violasse; nulla subditis officia injunxisse Reipublicæ minus salutaria & damnosa; Dignitates Provinciasque non hæreditarias liberrimo arbitrio suo relictas pro necessitate Reipublicæ & ratione Status contulisse, eripuisse, gentique ad servitutem natæ libertatis dulcedinem degustandam sine summa confusione regni exhibere nullo modo potuisse. Adeoque patet, nullam definitionem Tyranni eidem competere. Non enim Tyrannus fuit, qui Rempublicam factione, armis, malis artibus sine rege & autoritate illorum, penes quos potestatem deferendi jus est, exclusis illis, ad quos jure imperium pertinet, occupavit & ut plerumque fit, per vim aut scelera administravit: Neque Tyrannus dicendus est, qui, cum jure aliquo imperium obtinuerit, in omnia dissolventia Rempublicam, tollentia securitatem populi, jura procerum, leges regni, in quas juravit, vitia prorupit. (a)

(a) *Has descriptiones desumpsit ex Joan: Fr: Gronov. Not: ad Gros. Li: 1, c: 3, 8. 1.*

## CAP. II.

### De Scriptoribus Vitam Joan: Basilidis II. illustrantibus eorumque fide.

§. I.

**C**ontra argumentum dictum est, ut cum Senecæ (a) verbis exordiar, contra testes dicendum est: Historici sunt. Quidam incredibilium relatu commendationem parant & lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt: quibusdam mendacium obrepat, quibusdam placet. Illi non evitant, hi appetunt. Dicta quidem sunt nonnulla sparsim in præcedente capite, quæ Scriptorum istorum auctoritati nonnihil detrahunt: sed paulo specialius eosdem considerandos esse censemus. In genere de Historicis, qui Tyrannorum facta describunt notandum, quod plerique vix uno alterove exceptis in varia labi soleant vitia, quorum pauca supra notata una cum aliis hic conjunctim proponere liceat. Primo enim partium amore capti vel odio nationali in finitimos flagrantes Patriæque & Religioni blandientes, quæ a Principe finitimo duriora forte perpeffa est, in eundem tanquam Tyrannum invehunt omniaque illuc trahunt, quæ aliquo modo speciem crudelitatis præ se ferre videntur. (2.) Ex simplicitate sæpius vulgarem consuetudinem sectantur & quicquid reprehensione dignum in Principe deprehenditur, Tyrannicum appellant. (3.) Quidam vehementioris ingenii gloriam exinde quærentes, quod in viros Principes debachari possint, præsertim si in hac vel illa regione applausum sperare habeant, nil aliud agunt, quam ut quasvis eorum actiones dente theonino rodant Tyrannidisque maculam iis inurant, cui quævis Principum severitas speciem præbere potest. (4.) Alii sunt stylo Magni Leopoldi homines ideales, qui ideas de optimo Reipublicæ regimine, statu & directione

conceperunt nusquam in rerum veritate reperiendas. Hos tamen conceptus de Rebuspublicis tam alte cerebro suo infixerunt, ut, quicquid iis contrariatur & ab earum forma secedit statim tyrannicum temeraria decisione nuncupent. (5.) Nonnulli ob ignorantiam Status, Fatorum, dispositionis & necessitatum Reipublicæ durius omnia interpretantur, quæ Princeps in medelam afferre solet. (6.) Alii Imperanti tribuunt, quæ a Ministris invito Principe perpetrata fuere. (7.) Multi credulitate decipiuntur & credunt, quicquid affectus vehementius movet, misericordiam excitat & imaginationem miris phantasmatibus rerum horribilium occupat vivideque tangit. Depingunt itaque res, non ut contingerent, sed ut ab imaginatione sua præfigurantur & ab animi commotionibus modificantur, adeoque aliorum errores nescio, quo suavitatis ductu suos faciunt. Quod iis etiam accidit, qui auctoritatem alicujus Historici præcipiti consilio sequuntur feliciterque omnia exscribunt multisque sententiis & oratoriis flosculis exornant, quæ ab aliis infirmo fundamento fuere compilata: & quæ sunt reliqua.

(a) *Natur: Quest. L. 7. c. 16, p: 789, edit. Lipsiens. §. 1702.*

### §. II.

**A**mplissime hæc illustrari possunt exemplis Historicorum, qui Joan: Basilidis vitam describere vel ad Historiam ejus faciunt. Eorum familiam ducunt Guagninus atque Oderbornius, de quibus non tantum Thuani judicium ex superioribus in promptu est, verum etiam celeberrimi Schurtzfleischii ἐπικρισις bene notanda, quæ quantum ad hanc meam de Basilide sententiam pondus addat, ipse, L. B., ex sequentibus ejus verbis judices: (a) Jacobus Augustus Thuanus, inquit, ad annum 1584. ita de Paulo Oderbornio judicat, ut nullo negotio intelligatur, eum exaggerasse Basilidis facta, ut significantius Tyrannum repræsentaret: Eandem in suspicionem vocat Alexandrum Guaguinum atque ex Thuano repetit descriptio Moscoviæ Elzeviriana p: 114. ac in se-

sequentibus usque eo ipsius res actaque æstimat, ut ab ipso regibus, qui imperia ampliora efficere student, petendum esse exemplum censeat p: 150. conf: p: 180. Est vero mihi Codex manuscriptus, haud dubie non visus Thuano, sed qui paria cum Oderbornio tradit, eumque sequitur Horseus Anglus, ab Elisabetha ad Joannem Basilidem missus, cum quo conjungi potest Belga L. van der Bos, qui in describenda ejus sævitia conveniunt, nec abludit Olearius, ne Guaguino appareret dissimilis. Ut tanto minus mirandum sit, cur his subscripserit Erasmus Francisci in Theatro actorum Lugubrium XVI. Et tamen nil veretur Thuanus, idem quod antea scripserat, repetita vice alibi mandare literis & quod ad hoc institutum ac refellendam vulgi opinionem spectat, talia de eo referre, quæ & magnum & fortem animum demonstrant ad annum 1606. Omnino autem Thuanus, qui cum doctrinæ studio, tum Reipublicæ tractandæ usu summam est consecutus laudem, ignorare non potuit, multos in Basilidem scripsisse asperius, sive errore deceptos, sive odio impulsos, sive quod nescirent, plura exigi ad noscendum Tyrannum, quam aliquot Tyrannica facta. Hæc Schurtzfleischius.

(a) *Diff: Hist. T. 1. n: 45, de Steph: Raz. Cosac. perd, p: 9.*

§. III.

ALEXANDER GUAGNINUS.

**M**ale exprimitur hujus autoris nomen per Guaguinus tum a Schurtzfleischio l: c. tum etiam apud Whearium (a) Struviumque (b) ubi citant historiam ejus Polonicam. Verum nomen est Gwagninus vel Guagninus, quod non tantum ex inspectione titulorum in Libris, quos edidit (c) verum etiam ex testimoniis Virorum summorum (d) patescit. Ut constet quis fuerit, afferre liceat ea, quæ Baylius de ipso annotavit: (e) Alexandre Guagnin natif de Verone et Polonois naturalisé se rendit illustre et par son epée et par sa plume. Il eut des charges considerables dans les armées Polonoises et y ayant fait paroi tre sa valeur tant aux

Guerres de Livonie et de Moldavie, qu' a celles de Moscovie, il fut honoré non seulement de l' indigenat (c' est a dire du privilege d' estre censé Noble Polonois) sous le regne de Sigismond Auguste, mais pourvu aussi du Gouvernement de la forteresse de Witebsk. Il y commanda pendant 14. ans. Il se tourna enfin du coté des lettres et composa une histoire de Pologne. Il mourut a Cracovie l' an 1614. a l' agé de 76. ans. Il ne fut jamais marié. Il portoit les titres de Comes Palatii Lateranensis et eques auratus. Descriptio Moscoviæ, de qua hic loci sermo est habetur in Tom: II. rerum Polonicarum, quas tribus Tomis exhibuit, (f) separatim postmodum edita in Guagnini Sarmatiæ Europææ descriptione Spiræ anno 1581. in Folio, ut loqui amant, non in Octavo, cujus editionis quidem meminit Lippenius (g) sed error est ad cæteros ejus errores referendus. Sola demum inserta est (omissis, quæ ad Sarmatiam stricte sic dictam pertinent) Tomo Francofurtensi, in quem autores quosdam rerum Moscoviticarum collegerunt Librarii notissimi Marnius & Aubrius consilio Freheri innixi & deprehenditur p: 154. (h) Partes vero nonnullæ in descriptione Reipublicæ Moscovitiæ partim Mairiana partim Elzeviriana excerptæ inveniuntur. Totus ille liber constat descriptione Chorographica Moscoviæ & recensione factorum crudelium Joan: Basilidis. De priori nil noto præter id, quod nil aliud continere videatur, quam partem Commentariorum Herbersteinii aliquantulum amplificatam; ubique enim Herbersteinii verba ipsissima retinet inspersis quodammodo nonnullis, quæ ipse observavit de locis Moscoviæ. De posteriori potissimum sumus solliciti, in qua tamen, quæ fides Guagnino sit habenda, exinde elucescit. (i.) Polonus fuit adoptione, a partibus Polonorum aperte stetit, Polonorum copiis imperavit, præfectus castri Polonici per tot annos fuit, beneficia innumera a Polonorum Rege accepit, Sarmatiam suam, cujus pars Moscoviæ descriptio est, Polonorum Regi dedicavit, favorisque domestici exinde maxime suspectus, quem etiam repetitis vicibus demonstravit.

Scripsit de hoste, in quem arma direxit; scripsit in hostem omnibus Polonis maxime invisum. (2.) Credulus fuit & quicquid fama ad eum detulit, id statim descriptioni suæ inferuit. (3.) Basilidem sæpius loquentem introducit, ne oratoria desint ornamenta, verba vero ei tribuit, quæ nullo modo nec genio Basilidis nec rerum circumstantiis conveniunt. Sic v: g: nonnullorum perfidiam anno 1570. supplicio affecturus omnibus Moscux civibus ingentem incussit terrorem narrante Guagnino: credebant enim, omnes cives (mira credulitas!) se cruci affixum iri. Basilides ergo, cum perspiceret, omnes præ pavore & ingenti timore sese abdidisse in latebras & domos suas, ipse tunc obequitare cœpit per omnes urbis plateas, clara voce evocabat cives, inquit: Venite absque ullo metu, securi estote, prodite spectatum, nihil gravius in vos constituam, hoc vobis polliceor: quamvis is meus fuisset paulo ante animus, vos omnes funditus delere & perdere, sed jam mihi hæc mens mutata est, (vide sinceritatem Basilidis in confitendo) tuto egredi potestis & in forum venire intuitum, quid agetur. Tum miserrimus ille populus egressus turmatim & confertim forum complevit (tanti Tyranni verbis statim fidem adhibuit?) imo erat tanta multitudo spectatorum (cruci ante affigenda?) ut multi ascenderint domorum tecta, quo, quis istius Tragoediæ futurus esset exitus viderent. (i) Quot lineæ, tot absurda. (4.) Vivam rerum cognitionem nullam habuit, sed sæpius illorum autorum verbis, qui ante Basilidem de Ducibus Moscoviæ & eorum vitiis scripserunt, utitur ad describendum Basilidem adeoque hinc & inde particulas corrasit, quibus vehementiæ suæ in Basilidem pondus aliquod addere potuit. Illustre hujus rei exemplum exhibet caput ejus quintum, (k) cujus potior pars Herbersteinio debetur, licet non fuerit citatus, ut ex inspectione autorum, quos huc transcribere tædiosum est, patefcet. Quibus omnibus pensitatis non video, cur Nicolaus Bergius in sua de Statu Ecclesiæ Moscovitiæ Exercitatione (l) de Guagnino judicet, quod egregie functus sit suo labore; longissime enim ab officio veri Historici aberravit.

(a) *Meth* :



- (a) *Metb: Leg. hist. partic: art. 7. p. 17. edit. Tübing.* (b) *Bibl. Hist. p: 748.* (c) *vid: Scriptorum rer. Mosc. p: 154. Baylii Diction: Crit: voce Guagnin not: B. p: 1412. edit: 1702. T. 2.* (d) *Bayle l. c. Catal. Thuanæ p: 435. Bibl. Heinsian. p: 355.* (e) *L. c: ex Starouolscio p: 101. sq. ἐκατοντάδων Scriptorum Polonicorum.* (f) *Edit: Wechel. 1584. in 8. Basl. 1582. Fol.* (g) *Bibl: Philos: T. 2. p: 1221.* (h) *Francof. 1600. Fol.* (i) *Descr. Mosc. p: 201.* (k) *p: 182. Conferantur cum Herberstein: p: 11. (l) Sect. I. c. I. §. 4. p: 3.*

§. IV.

PAULUS ODERBORNII.

**H**ic tribus libris Historiam Joan: Basilidis texuit, quam prima vice editam novimus anno 1585. Witteb: in 8vo adeoque emendandus Catalogus Bibliothecæ Thuanæ (a) in quo anno 1583. edita legitur, cum tamen prima Epistola dedicatoria, quam Oderbornius ad Henricum Julium Ducem Brunsvicensem & Lüneburg: exaravit, data primùm sit Calendis Decembris anno 1584. Postmodum Tomo rerum Moscoviticarum supra citato inserta est p: 240. & ab Henrico Rätel Saganensi in Germanicam linguam translata, (b) quam interpretationem pro peculiari & ab Oderbornio distincto opere male venditat Lippenius. (c) Quicumque Oderbornium sine præconcepta opinione perlegit, facile animadvertere potuit (1.) illum favori domestico nimium indulgisse. In Lithuania, postmodum Rigæ vixit nationisque odio in Basilidem præjudicioque Tyrannidis præoccupatus multis criminationibus eum oneravit. In primo Historiæ suæ limine opinionem suam de Basilide, quam alte sibi impresserat, multis verborum ambagibus proponit Basilidemque omnes omnium seculorum Tyrannos superasse affirmat. Quicquid tribus libris comprehendit, ad hanc normam direxit, huic opinioni accommodavit. Stephanum I. Regem suum quavis ratione excusat, defendit, prædicat. Justitiam belli in Moscum majorem in modum exaggerat nullamque fuisse ait,

ait, præter immanitates Basilidis in Livonos exercitas. Si tamen dicendum, quod res est, recuperatio Livoniæ occasionem quidem & prætextum belli suppeditabat, vera tamen causa hæc fuit: partim, ut Stephanus sub auspiciis regni arma, quæ in viscera Reipublicæ Polonicæ a turbulentis ingeniis verti videbantur, in externum transferret hostem, sibi que ipsi pararet tranquillitatem, partim ut egregio aliquo facinore famam nominis sui extenderet & demonstraret, se regem dignumque fuisse Imperio. (d) Quicquid in bello isto Livonico a milite Russico perpetratum est, Basilidis crudelitati tribuit, de quo errore infra pluribus: quando vero Radivilo Dux Polonorum jussu Stephani civitates expugnat, ut Oderbornii verbis utar agros vastat, inflammationem pagis, necem hominibus infert, prædas agit & quasi tempestas quædam cuncta prostermit, terroris vocabulo id exprimit fortiterque ea acta esse perhibet. (e) Cum tamen utrumque malignitati & consuetudini belli, militum ferociæ aliisque Furiis bellum communiter comitantibus ascribendum; sed partium studia hac ratione luculenter manifestantur. (2.) Oderbornius, ut ipse in Epistola Dedicatoria fatetur in Scripturæ S. lectione, oratione, concionibus propagandaque S. Evangelii doctrina occupatus erat. Fuit enim teste Chytræo (f) Rigensis Ecclesiæ eo tempore Pastor. Minus ergo aptus ad consignandam historiam Moscoviæ; dolendum enim cum Sleidano, (g) quod hoc munus sibi sumant homines privati & a Principum negotiis alienissimi, quemadmodum, inquit, & superiori ætate & nostra memoria videmus in eo genere occupatos fuisse monachos: ita quidem, ut a multis jam temporibus nulla prope sit conscripta historia, cui fides haberi possit: omnes enim vel depravatis judiciis eorum qui scripserunt vel incertitudine narrationes factæ sunt mendosiores.

(a) p: 441. & 478. (b) edita anno 1589. Görlitzii in 4. corrigatur Lippenius, qui annum editionis ponit 1582. quo Oderbornius nondum editus erat nec in forma 8va prostabat, usque dum anno 1697., ni fallor, in 8. prodiit. (c) Bibl. Phil:

T. 2. p: 964. (d) *Heidensten: de Bello Mosc. L: 1. p: 328.*  
 (e) L: 3. p: 306. (f) T: IV. Opp. (g) *Præfat:*  
*Comment: Cominai præmiss.*

§. V.

**I**psa Oderbornii Historia sermoni cuidam simillima : nam (3.) Oratorem magis agit, quam Historicum : ubivis rhetoricatur amplissime, præfigurationes copiosissimas inaspergit, exaggerat circumstantias pro lubitu repetitisque exprobrationibus, odiosis interpretationibus, admirationibus &c. &c. nauseam creat, (a) quod multis paginis confirmare licet. Passionibus movendis adeo indulget, ut insulsis sæpius argumentis utatur ad excitandum, quem intendit, affectum, Basilidem per omnes Locos Topicos vituperando trahit similemque se exhibet iis, de quibus Sleidanus sua ætate observavit, quod dum in similibus nimirum historicis argumentis versati fuerint, nimia vel laudatione vel vituperatione modum omnem exceßerint, sic ut Panegyricum aut Verrinam aliquam actionem visi sint velle conscribere. (b) More Oratorum & a Parentibus & a tempore nativitatis Basilidis deducit vituperium, sed partim Historiæ parum satisfacit partim insignem committit errorem. Patrem Basilium multorum in simulat vitiolorum, ut eo magis aggravetur Filii protervitas, de quo e contrario P. Jovius testatur, quod specie corporis eximia, animi virtute singulari, suorumque studio & benevolentia & rebus gestis progenitoribus suis sit antefendus. (c) Nec Herbersteinus inter characteres Basilii profert, quibus Oderbornii accusationes insignes probari possint. (d) Exprobrat postmodum Basilidi impudicam Matrem, sive Salomeam s: Helenam intelligas : incertum enim est, quod mirum dictu, quamnam harum mater sit Joan: Basilidis : quæ tamen argumenta apud Oratores parvi, apud Historicos nullius sunt momenti. Pergit ad tempus nativitatis, quod in turbulentissimum Europæ Statum incidisse asserit ; tempus scilicet Tyranno dignum. Sub id enim tempus, inquit, Turcarum Imperator Bel-

Belgrado, cum Danubium atque Savum transisset, rectis itineribus in Ungariam venit, superatoque martis certamine Ludovico & eo in paludibus submerso, tantum finitimis regibus terrorem incussit, ut Leo Pontifex Barbarorum potentiam in immensum excrecentem formidans Romæ supplicationes indiceret ipseque insigni concepta pietate discalceatus ad templum proficisceretur & Republicæ Christianæ incolumitatem Deiparæ Virgini commendaret. (e) Sed minus recte calculos subduxit Oderbornius: Leo enim X. quem sine dubio intelligit, longe ante nativitatem Basilidis nimirum anno 1521. diem obiit extremum eodemque anno Solimannus Belgrado potitus est (f) & demum anno 1526. Ludovicum Regem Hungariæ prælio superavit: Basilides vero in lucem editus anno 1528. adeoque Oderbornius aut nimis late nativitatem Tzarii extendit, ut odiosis illum onerare possit circumstantiis aut in tempore & Pontifice denotando lapsum memoriæ passus est. Demum (4.) Judicium nonnunquam & prudentia historica bonum deficiunt Oderbornium, dum partim ordinem negligit partim pias conjecturas & meditationes nimium sequitur Lectorique obtrudit partim fabulas aniles tanquam veritates proponit. Risum teneat, quicumque legit, (g) lapidem ingentem marmoreum, qualis apud Germanos aliasque nationes mortuorum sepulchris imponi solet, ictu fulminis ex aëre in terram ita esse propulsum & in nives decidisse, ut non turbine violento, sed fabrilis artificii depositus esse videretur; in eo ignotissimis characteribus literaque fugiente Scirpum vel potius Epitaphium descriptum fuisse, significans haud dubie, Moschorum sepeliendum esse imperium. (Subtile judicium, acu rem tangens!) Ut alia, quæ passim & in eadem pagina magno numero producuntur absurda, silentio præteream. In summa, Oderbornius non aliter legendus mihi videtur, quam Orator qui tribus libris argumentisque dialecticis hanc thesin pertractavit, maximum omnium Tyrannum fuisse Joan: Basilidem, pauca modo si excipias, quæ de Moscovia Russorumque moribus in genere annotavit. Obiter hic noto

me in historica relatione Conradi Vetteri de Coenobio Sacrarum Virginum Ordinis Benedictini in urbe Rigenſi (h) legiſſe de P. Oderbornio, quod adventantem anno 1589. Regem Poloniae Sigismundum III. oratione quadam excepturus, multis verborum ambagibus & tædioſis rhetoricationibus nil aliud expreſſerit, quam Rigenſes una cum uxoribus & liberis ſuis ad pedes Regis devolvi petereque ab eo miſericordiam. Cum autem finem orandi nulum facere videretur, Rex quidem cum Magnatibus ſuis leviter ſubridens eum patienter audit, ſed Arbertus Baranosky Vice-Cancellarius multum ſermonem interpellans eum admonuit, ut breviter, quid ſibi vellet, exponeret, moleſtamque verborum copiam contraheret. Ille vero perturbato conceptuum ſuorum ordine telam orationis pertexere non potuit, ſed pudore ob contemptum inanis eloquentiæ ſuæ perfuſus conticuiſſe perhibetur.

- (a) *Conf: pag: 280. 286. ſq. 291. 315. &c.* (b) *Praſat: in Comment: Cominaſ.* (c) *De Legat: Moſc. in Tom. Francoſ. p: 129.* (d) *Comm: p: 10.* (e) *L: 1. de Vit: Baſ. p: 252.* (f) *Sleidan: Comm: L: 3. p: 46.* (g) *L: 3. p: 293.* (h) 1614. *Ingolſt. 4. p: 28.*

§. VI.

GEORGIUS van HOFF.

**F**uit ille Prætor ſive Procurator (Schöſſer) fundorum S. Georgii prope Naumburgum ad Salam ſitum, qui notiſſimam factorem Baſilidis ſequenti occaſione ſibi acquiſivit, de qua in Epiſtola dedicatiſſima ad Chriſtianum Ducem Saxoniae d: 12. Junii 1581. data luculenter agit. Narrat nempe ſe permittente Domino ſuo Georgio Chriſtiani Patre in Lithuaniam proſectum eſſe ad privata quædam negotia expedienda: in reditu ſe Samogitiam peragraſſe & ad hoſpitem quendam divertiſſe, quem per ſex annos catenis, per ſeptem vero annos cuſtodiis liberioribus in Moſcovia vinctum multa de Tyrannide Baſilidis cognita habuiſſe perhibet. Hujus narrata, quantum memoria tenere licuerit, raptim ſe in chartam

con

conjecisse ait eumque in finem propalasse, partim ut constet de Basilidis animo, quem varijs Christianismi titulis colorare voluerit, partim ut ii alieno sapiant periculo, qui in Moscoviam abeunt putantes, aurea illic inveniri secula. Ex his palam est, quali auctoritate gaudeat scriptum hoc, quod anno 1582. nescio ubi locorum (probabiliter Naumburgi) in forma 4. germanice prodit, sub titulo: *Erschreckliche / greuliche und unerhörte Tyranny Juan Wasilowis jetzt regierenden Groß Fürsten in Muscov etc.* Nam (1.) tota narratio captivo debetur, qui animo odii vindictæque pleno cupidissime admisit omnia, quæ in malam partem de Basillide dicta fama & auditione accepit, memoriaque acerrime tenuit. (2.) Captivus est autor narrationis, qui paucissima de veris rerum circumstantiis cognoscere potuit. Constat enim ex Scriptoribus rerum Moscoviticarum, quam caute peregrini in Moscovia, multo magis captivi, observentur & quam studiose caveant Russi, ne cum peregrinis de rebus Magni Ducis sermones conferant. (3.) Georgius van Hoff consignavit historiolas istas non quales ex isto Samogita audivit, sed tantum narravit, quantum in memoriam de iis revocare potuit, ut ipse fatetur adeoque illæ narratiunculæ multis mutationibus & corruptionibus fuere obnoxia. (4.) Tandem res ipsæ, quas scriptum continet, de seipsis testimonium perhibent & ostendunt, quod ex animo minus sincero, sed partim studiis addicto propullulaverint tantaque credulitate sint conscriptæ, ut multis in locis vix ac ne vix quidem verosimilia videantur. Id quod maxime lectione dignum hoc in scripto deprehendi, sunt literæ Joan: Basilidis in fine adjectæ, quas ad Carolum V. amicitia parandæ causa dedit, quæ nil barbari continent, sed ubique insignem prudentiam politicam honestatisque amorem mirifice prospirant.

§. VII.

**TILEMANNUS BREDENBACHIUS.**  
**H**istoria belli Livonici, cui conscribendæ, stylum hic calamus-  
F 3
que

que commodavit , autorem agnoscit Philippum Olmen Ecclesiasten Ressensem , qui in epistola Historiæ subjecta ( a ) de se ipso testatur , se omnia oculis suis non sine magno suo dolore coram spectasse magnamque istius calamitatis partem in caput suum redundasse , pauca etiam ex fide dignorum virorum relatu cognovisse. Integro enim septennio in Metropolitana Ecclesia Torpanti munere concionatorio functus est & stipendiariorum , ut vocant , numero ascriptus fuit. Quoniam autem propter labores concatenatos historiam ipse conscribere non potuit , Bredembachium precibus induxit , ut hoc negotium susciperet. Editum hoc opus anno quo consignatum est 1564. Duaci in 8. postmodum Tomo Scriptorum Moscoviticorum insertum. Nisi fervens in Lutheranos odium multæque de iis criminationes , nec non miraculorum credula , sed inanis ostentatio maculas quasdam eidem aspergerent , nil plane desiderari posset : cætera enim nullo partium studio plane & concinne referuntur dignaque illustri Thuano visa sunt , quæ in conscribenda hujus belli Historia ipse κατὰ πίδα sequatur.

(a) *Tom. Script : Moscov. p : 239.*

§. VIII.

ANONYMUS NORIBERGENSIS;

**N**oribergæ apud Georgium Kreydlein A. 1561. in 4. nonnemo relationem in vulgus disseminavit unica plagula constantem sub hoc titulo : *Sehr greuliche / erschreckliche / vor unerhörte wahrhaftige neue Zeitung / was für grausahme Tyrannen der Moscoviter an den gefangenen hinweggeführten Christen aus Lieffland begehret. &c.* Sed homuncionis cujusdam foetus est , nullo judicio , nullo ordine , nulla elegantia exclusus , ita omnia sunt confusa omnique fundamento destituta. Videtur enim esse relatio cujusdam Typographi lucri cupidi , quales nostra tempora incredibili foecunditate producant. Nec dignam eandem judicarem , quam hic commemorarem , cum paucissima de rebus Livonicis , multa e contrario

trario ἀλλότρια tradat, nisi Titulus nonnulla in præjudicium Basilidis promittere videretur, qui tamen huic bello vel potius primæ ejus periodo plane non interfuit, ut Bredenbachius expressis verbis testatur, qui in Basilidem non est injurius.

§. IX.

JACOBUS ab ULEFELD.

**U**lefeldiorum illustris Familia satis nota, ut neminem latere possit, hunc nostrum autorem Danum fuisse natione. Ita de eo Baylius : (a) Ulefeld ou Ulfeld ( Jaques ) gentilhomme Danois & Senateur du Royaume fut envoié en ambassade a la cour de Moscovie l' an 1578. par Frideric II. Roi de Dannemarc. Il composa une relation de son voiage & la donna a imprimer a un libraire de Leide, qui la negligea de telle sorte, qu' elle tomba entre les mains d' un epicier. Elle eut sans doute servi a des Cornets, si Goldast ne l' eut achetée. Il la fit imprimer a Francfort l' an 1608. sous le titre de Hodoeporicum Ruthenicum Jacobi, Nobilis Dani et l' an 1627. sous le meme titre avec l' addition d' Ulfeldii après Jacobi. Ignoraverat enim Goldastus cognomen autoris Ulefeldii ante primam editionem : miror tamen Nicolaum Bergium ( b ) nuperrime adhuc verum nomen ignorasse. Posteriori, qua usus sum, editioni ( c ) additæ sunt epistolæ nonnullæ, quas Claudius Christoph. Lyschander Præpositus Ecclesiæ Herfolgensis Selandorum ad Goldastum hoc de autore dedit. In prima ( d ) notari merentur, quæ de illo ejusque Legatione observat : gravissima inquit, Legationis hujus Ruthenicæ negotia, in quibus cum non requisito Regis ac Procerum consensu pro sua autoritate quasi in reipublicæ nostræ detrimentum cum Moschorum Principe quædam constituisset, maximis illum molestiis implicarunt, ut regiæ Majestatis gratia & Senatoriæ dignitatis fastigio excederet. Hæc Lyschander. Ipsum Hodoeporicon quod attinet, stylo minus eleganti conscriptum est : pro eo tamen, quod a nobili exaratum, satis Latinitatis habet. Pro ratione personæ,  
quam



quam sustinuit officiique, quod gessit, plura potuisset observare, annotare, patefacere: pauca enim si demas, quæ de Joan: Basilide ritibusque & opinionibus quibusdam Russicis dixit, nihil restabit, nisi diversiorum notitia, incommodorum in itinere descriptio multæque de Præstabliorum, ut vocat, barbarie, invidia, avaritia & insidiis querelæ ad nauseam prolatae. Id quod decorum magis, quam politicum respexit & externam rerum faciem, non internam dispositionem Lectori exhibuit: ad negotia enim sua, quæ susceperat, magis videtur fuisse intentus, quam ad observationem populi Statusque Moscovitici.

(a) *Diction: Crit: & Hist. sub voce ULEFELD. T: 3. p: 2980.*

(b) *Exercit: de Statu Eccles: Moscov. p: 5.* (c) *cujus titulus: Jacobi Ulfeldii Legatio Moscovitica s: Hodoepericum*

*Ruibenicum Francos. 1627. 4. (d) p: 9.*

§. X.

PHILIPPUS PERNISTEN.

**L**egatus fuit Imperatoris Maximiliani II. ad Joan: Basilidem missus anno 1579. qui nonnulla de Religione Russorum aulæque Basilidis posteritati reliquit. Habentur ea in Philippi Honorii vel Julii Belli sive si verum autorem quæras, Lotini Thesauro Prudentiæ politicæ (a) Italice & Latine expressa. Sacra magis, quam profana tradidit, forte majorem spem de propagando in Moscovia Romano cultu concipiens, quam ipsa rerum constitutio tunc temporis pollicebatur. (b) Mirum in modum captus est aulica pompa Basilidis ejusque divitias, magnitudinem & potentiam, quæ tunc temporis summum adepta erat fastigium, egregie describit, ex quibus infra quædam adjiciam. Nihil de Tyrannide hujus Tzarii monuit, potius honorifice de eo loquitur Polonorumque accusat invidiam, quod contemtim nimis eundem habuerint. Ulfeldii fata non expertus est: nam Russi comiter liberaliterque eum acceperunt, partim quod jucundiora tractasset negotia, partim alios nactus esset Præstablios partim a Principe missus, cui nulla cum  
Russis

Ruffis intercefferant odia & cujus amicitiam Bafilides in bello , quod instabat, Polonico anxie conservatam cupiebat.

(a) *P: 1. p: 280. edit: Francof. 1617. 4.* (b) *Nicol: Bergius Exercit: de Statu Eccles: Mosc. in præfat.*

§. XI.

ANTONIUS POSSEVINUS.

**N**omen notissimum in Republica Literaria & quidem Viri ingenio maximè , qui non tantum variarum rerum scientia polluit, verum etiam, quæ raro conjuncta esse solent, homo fuit rerum agendarum peritus. (a) Ita de eo Schurtzfleischius in Collegio MSCto ad Catal: Heinf. teste Clarmundo, (b) cujus vitas clarissimorum Virorum maxime ob judicia Schurtzfleischiana hactenus publice non prostantia legendas mihi esse putavi, judicat: Antonius Possevinus, Patria Mantuanus, varia doctrina præditus & multa librorum lectione exercitatus, sed aliquando in judicando præceptus & ordini suo obnoxius atque haud accuratus scriptorum civilium censor, alioquin in rerum usu versatus & Ruffiæ Poloniæque negotiis non plane nullam laudem promeritus inprimisque Sedi Romanæ probatus. Hoc quod expedivit in Ruffia negotium, erat pacis constituendæ causa Legatio jussu Gregorii XIII. Pontificis Romani anno 1581. suscepta. Moscus enim Legatos ad illum miserat, qui auxilia adversus Turcam communem Christiani nominis hostem pollicebantur. His discessuris adjunctus viæ comes Possevinus ex Jesuitarum numero, qui Legationis illius pararius extiterat bellicque componendi spartam in se susceperat. (c) Commentarii, quos de Moscovia conscripsit diversis locis sæpius editi sunt. Usus sum editione Coloniensi 1595. in Folio, cui alia Possevini opera adjecta leguntur. Septem sunt numero Commentarii, quorum nonnulli separatim in descriptionibus Reipublicæ Moscovitiæ Batavis in lucem prodierunt. Continent ut plurimum ea, quæ Possevinus ad Religionem Papi sticam in Moscovia stabilendam coram Duce Moscoviæ egit, cujus negotii

G

dis.

difficultates & impedimenta apertius exponit. Insuper sunt nonnulla, maxime Commentario secundo, quæ ad gentis Ducisque genium spectant & rationem Legationis ad eum obeundæ accurate delineant. Tandem adduntur Commentario septimo literæ & acta pacificationis, quam procuravit inter Regem Poloniæ Moscoviæque. Judicium viri undique elucescit, nec secundum vulgi opinionem faciem rerum exterarum spectavit, sed politica maxime prudentia in iis dijudicandis usus est. In materia tamen Religionis nonnunquam partium studio ductus esse videtur zeloque Papismi promovendi nimio opere deditus.

(a) *Thuanus ad annum 1580. p: 66.*      (b) *T: 3. Vit: Clariss: Vir. p: 156.*  
 (c) *Thuanus ad annum 1581.*

## §. XII.

### REINOLDUS HEIDENSTENIUS.

**F**uit is Secretarius Regius in Polonia, si fides habenda titulo, quem ipsum opus præ se fert. Scripsit Commentariorum de bello Moscovitico, quod Stephanus Rex Poloniæ, cum Joanne Basilide gessit Libros sex, in quibus styli elegantia, judicii acrimonia Historicesque accurata cognitio ubivis dominantur. Ita de eo Thuanus: (a) Libri de Moscovitico hoc bello, qui nomine Reinoldi Heidenstenii Secretarii Regii circumferuntur elegantissime & accuratissime scripti, nisi judicii fallor aut ab ipso Samoscio (qui tunc temporis summum militiæ Magistratum haud sine occulto Procerum Polonorum livore gerebat) scripti sunt aut potius ab homine latine scribendi peritissimo, qui eos vel ipso Samoscio dictante aut saltem ex ipsius Commentariis excrisperit. De Joan: Basilide Lib: I. quædam refert, quæ magis communi famæ publicisque Polonorum relationibus, quam indubitata experientia debuit favorique domestico nonnunquam aliquid tribuisse videtur. Thuanus ejus Commentariis in describendo hoc bello plane usus est nihilque non habuit cognitum, quicquid de Basilide in iisdem acerbius dictum legitur; non tamen hoc obstitit, quo minus

mitus in mitiorem de Basilide sententiam descenderit. Editi sunt anno 1588. Basileæ in 8vo, postmodum Tomo Scriptorum rerum Moscoviticarum adjuncti. (b) In germanicam linguam eos transtulit Henricus Rätel Saganensis & Görlicii 1590, in Quarto publicavit.

(a) *Ad annum* 1581.      (b) *p*: 325.

§. XIII.

CHRISTOPHORUS WARSEWICIUS.

**H**ic orationem scripsit ad Stephanum Regem Poloniae qua exposito toto belli negotio cum Joanne Magno Moscorum Duce pacem XV. Januarii anno 1582, ad Zapolsciam confectam gratulatur. Cum enim (ut ipse in Epistola dedicatoria ad Regem enarrat) ex castris ad conventum tractandæ paci Zapolsciaæ destinatum abs Rege missus esset & confecta pace rursus ad eum in viam se dedisset, fallendi temporis gratia illam conscripsit orationem, qua de hoc tam grato & magnifico munere divinitus ei dato & oblato gratularetur: quam & adeo Vilnam cum venisset, typis divulgandam esse duxit, ut vel in varias partes non solum fama, verum etiam lætitia de ea pervolare facilius possit. Oratio ista continetur in Joan: Latitzki vel Lasitii opere, quod ex variis autoribus de Russorum Religione collegit Spiræque Nemetum 1582. in 4. in lucem protulit. Autor oratorem strenue se præstat nihilque omittit, quod ad Encomia Stephani ignominiamque Basilidis pertinere videbatur adeoque suspectum præbet testimonium.

§. XIV.

PETRUS PETREJUS.

**C**hronicon ejus Moscoviticum satis notum est, quod ratione Chorographiæ & ob accuratam morum Russicorum notitiam laudem suam meretur. Fuit enim, ut ipse in Epistola dedicatoria fatetur, per quatuor annos Russiæ incola Magnoque Duci inseruit & tam a Carolo IX, quam a Gustavo Adolpho munus Oratoris

toris ad Tzarium ipsi non semel delatum est, adeoque vivam rerum Russicarum tunc temporis obviarum cognitionem propria observatione haurire potuit. Editum primum est Chronicon Lingua Suecica Holmiæ. 1615. 4. postea vero 1620. Lipsiæ. 4. Germanicè ab ipso Petrejo exhibitum. Absolvitur Libris sex, quorum secundus Historiam Ducum Moscoviæ exposuit. In rebus, quæ in seculi superioris primordia incidunt fidem meretur; ipse enim iis interfuit, quemadmodum ex rerum relatione patet: In cæteris vero quæ id temporis antecurrunt, aliorum fidem secutus est. Joan: Basilidis historiam quod attinet, in ea Oderbornium exscripsit nec diffitetur, hoc se Duce usum esse, potius Lectorem ad plura de hoc Tzario cognoscenda ad ipsum Oderbornium ablegat. Non autem historiam Basilidis descripsit, sed omissis omnibus, quæ ad bella, quibus implicatus fuit, maxima, ad revolutiones regni Moscovitici notatu dignissimas, ad arcana Status absoluti Imperii a Basilde adhibita aliaque negotia publica spectant, in sola Tyrannide exponenda fuit occupatus notandisque factis, quæ ab Oderbornio aliisque atro designantur lapillo fucatisque depinguntur coloribus adeoque aliorum errores secutus ipse erravit.

§. XV.

SIGISMUNDUS Liber Baro ab HERBERSTEIN.

**H**ujus autoris primo loco mentio fuisset facienda, si temporis, quo scripsit, rationem habuisssem. Sed cum Joan: Basilidis tempora atque historiam non attigerit & vix nominis hujus Tzari injeecerit mentionem, ultimo loco illum adducendum esse putavi, præsertim cum Commentarios ejus in notandis Moscorum moribus nonnunquam sim secutus. Vitam Herbersteinji quod attinet, illam ipsemet breviter quidem, sed concinne delineavit Viennæque 1558. in 4. sub tenore sequentis tituli edidit: Gratiæ posteritati Sigismundus Liber Baro in Herberstein, Neiperg & Gueten-  
hag, Primarius Ducatus Carinthiæ Hæreditariusque & Camerarius  
& Da-

& Dapifer immunitate meritorum ergo donatus actiones suas a puero ad annum usque ætatis suæ septuagesimum tertium brevi commentariolo notatas reliquit. Postmodum in Lucem prodiit Viennæ A. 1561. Fol. Sigismund Freyherren zu Herberstein Beschreibung seines Thuns / Diensten und Reisen mit einer Vermahnung an seine Nachkommen. Sed præter Titulum hujus Tractatus nil vidi adeoque indicare non licet an idem sit cum superiori & tantum in germanicam linguam translatus, an vero plura & specialiora contineat, quod probabilius ex ipsius tituli inspectione videtur. Vitam præterea exhibet Freherus, (a) sed more solito imperfecte & obscure eam exposuit. Whearus (b) Herbersteinii commentarios citaturus illos sub nomine Sigismundi Liberi notavit & miror Virum Clariss: Dn: Nevum editorem illius hoc mendum non emendasse. Godofredus in notis ad L. 1. Codic. in eundem lapsus erat errorem, quem tamen Editio Corp: Jur. Francofurtana A. 1663. sustulit & verba Baronis ab Herberstein adjunxit observante illud inter alios Becmanno. (c) Causa hujus erroris fuit sine dubio Antwerpiana Commentariorum editio A. 1557. in 8vo parata, in qua autor esse dicitur Sigismundus Liber, (d) quæ etiam imposuit editoribus Catalogi Thuanæi, (e) in quo vox Liberi majoribus Literis expressa legitur, ac si esset nomen proprium autoris. Præter hanc editionem aliam exhibuit Basileæ Jo: Oporinus 1571. 8. quam secuti sunt Librarii Francofurtenses, qui istis Commentariis inter autores rerum Moscoviticarum primum concesserunt locum. Merentur illum quoque ob variam, quam continent, eruditionem: non enim Historiam tantum Moscorum eorumque Ducum mira concinnitate pertexuit illustris autor, verum etiam Topographiam, religionem variosque Moscorum mores, ritus, ordinationes explicavit, modum excipiendi legatos adjecit itineraque primæ suæ legationis in Moscoviam A. 1516. & secundæ A. 1526. susceptæ accurate descripsit. Rem narrat simpliciter, a scopo suo non facile aberrans & ubivis veritatem circumspicte tradit. Dignus multis visus, quem secure exscri-

berent, ut Guagninus, Oderbornius, Heidenstenius, Descriptiones Reip: Mosc: multique alii qui religionem Moscorum pertractarunt, luculenter testantur. Germanice illius Commentarios interpretatus est Pantaleon & cum P. Lovii Tr. de Legatione Moscovitica in lucem protraxit 1579. Fol. Francof. sub Tit. Chronicorum Moscoviticorum.

- (a) P. 2. *Theat. Vir. Er. Sect. 3.* p. 766. (b) *Method. Leg. Hist. Civil. Partic edit. Nevi: Tubing.* 1708. 8. p. 40. (c) *Hist. orb. geogr. & civ:* p. 661. (d) *notante etiam Nicol. Bergio Exercit. cit.* p. 1. (e) p. 441. *edit. Hamburg.*

§. XVI.

**R**estant adhuc nonnulli autores huc facientes in primis Lambertus van der Boss & Jerome Horsley, cujus Treatise of Russia and Northern regions Londini 1626. ed: anxie quidem quæsivi, sed nec in amplissimis Bibliothecis invenire potui. Doleo vicem meam, solatii tamen loco mihi esto judicium Schurtzleischii supra allatum, qui iis non obstantibus Thuano tamen ejusque de Joan: Basilide sententiæ assensum præbuit. Antonium Jenckinsonium Anglum a Cambdeno memoratum quem Basilides ad Elisabetham Angliæ Reginam miserat, nonnulla de ejus actionibus consignasse putabam ideoque itinerarium ejus sollicitè quærît abam. Reperi tandem illud in descriptione Persiæ Elgeviriana, (a) verum enim vero ne verbulum quidem de vita Basilidis continet, sed tantum brevissimis itineris notat diversoria & descriptionem. Nec ejus Voyage au Cathay traduit de l' Anglois d' Hackluyt par Jonas Logan du 24. Ferrier 1611. huc facit, (b) sed plane alia recenset. Abrahamus Ortelius quidem citat Antoni Jenckinsoni Russiam Londini 1562. ed: sed incertum relinquit, an sit tantum Tabula Russiæ Geographica a Jenckinsonio exhibita, an vero simul contineat ejus descriptionem. Præter hos multi sunt, qui incidenter Magni hujus Ducis meminerunt partim Poloni partim aliarum gentium Historici, sed illas eam ob causam prætereundos esse cen-

cenſui, quod non ex peculiaribus fontibus hiftoriam Baſilidis depromſerunt, ſed ſupra citatos autores ſtrenue ſecuti ſunt adeoque vel eorum errores admiferunt vel iudicio adhibito correxerunt, quo rum incidenter nonnunquam facta eſt mentio. Ex collatione itaque horum autorum, ex diſcuſſione eorum affectuum, ex collatione ſententiarum contradiſtoriarum, ex convenientia relationum ſuſpectarum cum relationibus minus ſuſpectis & comparatione aſſertorum cum Statu Ruſſiæ & gentis genio demum veritatem elicere licuit.

(a) 1633. 24. ed. p: 259. (b) *Itinerarium illud invenies dans les relations de divers voyages curieux a Paris. 1663. Fol.*

## CAP. III.

### De cauſis, cur male audiat Joan: Baſilides inque turpem Tyrannidis incurrerit infamiam.

#### §. I.

**O**ccasio infamiæ Joan: Baſilidis indaganda, eaque non uno argumento exponenda. Summum felicitatis humanæ fatigium occupaverat hic Ruſſorum Monarcha, in quo a tot hominum millibus conſpici, ſed a multis propius, a multis longius ſpectare poterat. Sic enim accidit Viris Principibus, qui in Sacrum Deitatis terrenæ culmen eveſti omnium oculis exponuntur, quorum tamen infinitus numerus illorum actiones & qualitates ita non excipit, uti re vera exhibentur. Quilibet pro ſuo videndi & concipiendi modulo illos dijudicat, adeoque quot capita, tot de iisdem ſenſus. Iis non aliter evenit ac nubibus, in quarum intuitu ille Leonem, hic pegalum, iſte gryphem alii alias animalium figuras in una eademque nubecula ſe deprehendiſſe arbitrantur, cum tamen nihil earum rerum fuerit exhibitum. Sic quoque ii, qui aulam e longinquo contemplantur, in Principis actioni-



actionibus modo levitatem, modo crudelitatem, modo voluptatem vel avaritiam vel ambitionem, modo astutiam &c. observasse sibi videntur, prout animi affectuum nebulis circumducti vel obtusiori vel acriori visu præditi sunt. Inde accidit, ut nonnulli Principum, qui cogitationes suas ad veram virtutem tantis personis dignam olim retulerunt, posteritati atro notentur lapillo, alii tamen quorum simulatio anxie mentita est virtutes vel qui enormiter in se admiserunt vitia pallio virtutis aut religionis obumbrata, immortalem obtinuerint existimationem, si non apud omnes, apud plurimos tamen vulgique infinitam catervam. Sicuti enim optimi Principum occasiones possunt suppeditare justissimis licet actionibus ut aliqua nominis ignominia aspergantur, sic quoque pessimi Principum ansam laudis præbere possunt, ut multis exorentur Encomiis. Dantur enim simulachra virtutum, dantur quoque simulachra vitiorum: vulgus autem non secundum ipsam rerum naturam, sed secundum earum speciem & externam formam res dijudicat adeoque vitanda pro virili simulachra vitiorum, ne ipsius vitii incusemur. Sed sæpius vix ac ne vix quidem evitari possunt, cum partim nulla actio tam bona sit, in qua non vitii aliquod appareat simulachrum, præsertim hominibus frivolis odioque incensis, qui omnia in malam partem trahunt, partim necessitas ipsa interdum injungat actiones vitii formam induentes partim actio non semper ita pateat, ut tota ejus facies possit conspici, sed tantum ab uno latere spectetur, ex quo aliqua vitii apparet similitudo. Quicumque ergo Principum in turbulenta incidunt tempora, in vicinorum vel subditorum malitiam incurrunt & de actionis quidem rectitudine, non vero de illius externa specie sunt solliciti, recte faciendo (ut ajunt) neminem timentes, ii citra culpam labem ignominia nonnunquam subeunt nullis excusationibus, nullis medijs statim abstergendam.

## §. II.

Sed ad ipsum exemplum progrediamur, Primam occasionem  
 infra.

infamiae Basilidis praebuit, quod multa severe ab ipso peracta fuerint, quae aliter agi non poterant, multasque poenas infligerit atrocissimis delictis. Tanta enim Mosci tunc temporis patrabant facinora, ut sine severitate Basilidis totum corruisset imperium noviter stabilitum. Severitas autem facillime confunditur cum crudelitate: earum objecta enim saepius coincidunt & nisi actionum circumstantiae probe cognoscantur, intentiones distinguantur veraque earum principia eruantur, vix ac ne vix quidem distinguui poterunt. Accedit & hoc, quod vulgus hominum nec crudelitatis nec clementiae, multo minus severitatis medium quod uasi locum tenentis veros, claros & distinctos habeat conceptus. Plerumque enim per earum oppositionem illas ipsas describunt & ex horrore crudelitatis magnificas de clementia ideas concipiunt. (a) Imo cum humana natura effectus clementiae magis, quam severitatis pati malit, secreto quodam horrore hanc fugit, illam amplectitur adeoque omni severae actioni conceptus odiosos tribuit. Verum est Principes ad tollendam vel minuendam poenam promptiores esse debere, quam ad severitatem; in hoc enim vis clementiae sita est: (b) Sed si respuatur a pertinacissimis animis omnis gratiae oblatio & periculum, ut cum Tacito loquar, ex misericordia subnasci videatur, severitate opus est. Nam intra concessum modum poenam quidem ducit charitas ejus qui punitur, sed bene notandum, nisi plurium justior charitas aliud suadeat ob causam extrinsecam, quae interdum est ingens periculum ab eo qui deliquit, plerumque autem necessitas exempli. Ea autem nasci solet ex generalibus invitamentis ad peccandum, quae reprimi nisi acerbis remediis nequeunt. (c) Quae quidem omnia a paucissimis in denotanda Principis crudelitate pensitantur, adeoque omnis severitas, quam saepissime necessitas introduxit, Tyrannidis macula aspergi solet. Fridericus Barbarossa ob severitatem suam ab Italis Tyrannus dictus, qui illi quascunque diras atrocissimis contumeliis imprecati sunt, cum tamen non Tyrannice res suas gesserit, sed ob perturbatum Italiae statum de rebellibus Italiae civitatibus

justissimas sumserit poenas. Sic quoque Basilidi accidit, qui ob frequens severæ disciplinæ exercitium summe necessarium crudelitatis notam incurrit.

(a) *Mr. Esprit fausseitè des vertus humaines* p: 803. (b) *Grotius de I. B. & P. L. 2. c: 20. §. 36.* (c) *Grotius l: c. §. 34.*

### §. III.

**S**ecunda ratio infamiæ fuit, quod Joan: Basilides Clericos tum Romanæ Ecclesiæ tum Ruthenicæ acerbius tractaverit inque eorum mores rigoroſe inquisiverit. Romano - Catholicos varia ratione offendit, partim inclinatione animi in Lutheranos, ut loqui amant, partim Cœnobiorum Monachorumque spoliatione in Livonia, partim oppressione Romano - Catholicæ Religionis. In Augustanæ Confessione addictos propenso fuit animo usque ad ultima vitæ tempora, quæ in tantas illum redigebant angustias, ut mediante Pontifice Romano pacem a Stephano Rege Poloniæ impetrare coactus fuerit adeoque mitior in Religionem Papisticam duriorque in Lutheranos ad demulciendum Pontificis animum fuisse videretur. Ipse Possevinus, injurius sæpe in Protestantes, inficias ire nequit, partim Aulicos Joan: Basilidis inſenso in Romanos fuisse animo partim Basilidem propensionem in illos ex necessitate simulasse. Magnus, inquit, Moscoviæ Dux, cum a suis Legatis, qui de pace venerant Vilnam, cognovisset, me ad Poloniæ Regem a Vestra Beatit: venisse, scripserat per Christophorum Dzerzecium ipsi Regi, Moscos a Synodi Florentinæ tempore cum Ecclesia Catholica fuisse in eadem Religione conjunctos seque sinere, ut Catholici in Moscovia suis ritibus uterentur: veruntamen se nihil minus hactenus cogitasse plane indicavit. Quin vero, cum Livoniæ magna parte subacta, Catholicos inde ad unum ejecerit cultumque Ruthenicum armis passim invexerit ac diligentissime statuerit, (avum qui id ipsum Novogardiæ fecerat Patremque secutus) cumque mihi longa cum ejus Consiliariis colloquia habenti deprompta fuissent ex penitioribus Archivis

scri-

scripta & formulæ, quas ad res suas adversus Poloniæ Regem tuendas Pontifici maximo cupiebat esse cognitæ: satis certo collegi, quicquid de amicitia continuanda cum Pontificibus maximis ac Cæsaribus aut aliis Principibus a tempore Leonis X. ac Clementis VII. ejus Pater Basilius vel hic ipse modo cum V: B: tentavit, id ad suæ ditionis ac Schismatis terminos propagandos armaque ad hanc rem sibi comparanda spectasse. (a) Oderbornius autem disertis verbis illius amorem in sic dictos Lutheranos testatur. Christianum enim Boccornium Magni Cimbrorum Ducis Sacerdotem splendida veste & catenis aureis insignibus donatum in purpura concionantem ita audire solebat, ut palam diceret, Lutheri dogma veritati vicinius omnino videri illudque tolerari etiam posse, nisi autor intempestiva vehementique eloquentia in unum Pontificiæ causæ jugulo incumbens veterem Sacrorum ordinem evertisset Sanctarumque Literarum scientiam turpi transfugio abjecta inprimis cuculla & habitis cum sacra Virgine nuptiis obscurasset. (b) Paulo post Oderbornius de Jo: Rocyta narrat, quod hunc virum pietate singulari præstantem de variis inter Christianos sectis, de Religione, ut ait, Lutherana, de fundamento salutis, non pauca etiam cum singulari significatione attentionis cupidissime interrogaverit. Venerat ille anno supra millesimum quingentesimum septuagesimo in Moscoviam & D. Sigismundi Augusti Legatis ita aderat, ut & Sacris præesset & habendis concionibus eorum servitia ad pietatem erudiret. Hunc ad se in Senatum perductum & acceptum honorifice Evangelicæ doctrinæ summam confidenter edisserere jussit & munera etiam ingentia ei pollicitus est, si dubia confirmare, explicare intricata & obscuris lucem afferre dicendo posset. (c) Rocyta autem habito multo sermone de potioribus Religionis Protestantium Capitibus incredibili lætitiâ est affectus, quod Moschum summæ potentia Principem validissimis convictum argumentis ita per sacras literas sustinisset, ut ille omni pristina Religionis cognitione spoliatus tacuisse videretur. (d)

- (a) *Possevinus de Moscov.* p: 7.      (b) *Oderborn. L: I. p: 258.*  
 (c) *Oderb. l: c.*      (d) *Oderb. l: c. p: 267.*

§. IV.

**I**n expugnatione urbis Torpatensis in Livonia jussu Basilidis omnes, qui Pontifici Romano renunciare noluerunt, secedere coacti sunt, toleratis iis, qui Augustanæ Confessioni erant addicti. Ipsum Episcopum Moscovitici Exercitus Dux victum habebat, quem ad Abbatiam Valckenadensem ducebat ibidemque carceri mancipabat. (a) Eâdem ratione Mosci in aliis locis bello sibi acquisitis in Romano-Catholicos animadvertabant & durante bello illo Livonico miles Russicus quodammodo acerbissimam crudelitatem pro more Tartarorum & Cosaccorum in infelicissimos Livoniæ incolas exercuit & teste Possentino ad unum omnes Catholicos inde ejecit ingentesque divitias Basilidi ex ditissimis Monachorum cœnobiis corrasit, qui se non divum, sed Monachorum, divitias emendicatas auferre dicebat. (b)

- (a) *Bredenbachii Hist: Belli Livon: in Tom: Francof. p: 236. sqq.*  
 (b) *Oderb. p: 257.*

§. V.

**P**opas suos Clericosque Ruthenicæ Ecclesiæ mirum in modum coërcebat, ostendebatque iis, se pro summo Russiæ Patriarcha haberi velle. Si quando sacris operam dare & stas solennesque ceremonias observare vellet, recensente Oderbornio, continuo Alexandrovam iter vertebat, ut scilicet ab imperii curis liber animum ad res sacras expeditius revocaret. Sciendum autem est, Alexandrovam admodum speciosam Magnorum Ducum habitationem esse, quæ a Moscovia civitate non amplius viginti quatuor milliaribus distat & in formam magni alicujus monasterii pulcherrime est exstructa. Multa ibi Magnorum Ducum populorumque visuntur munera, prorsus ut incertum sit, utrum magnificentia thesaurorum, an majestas religionis plus hic admirationis

tionis habeat. Huc delatus Princeps Monachorum habitu & ipse utebatur & satellitibus quoque suis, sacras vestes dabat, a quibus non modo abstinendam & pietatem, sed orandi exemploque suo jejunandi expeditum & vehemens studium exigebat, eos maxime perosus, qui aut minus prompte jussis paruisent, aut importunis helluationibus ( quibus apud Popas nihil frequentius ) Sacrorum diem deformassent. Ipse interea legendi ac relegendi sacros libros absque ulla fastidii significatione avidissimus æque & patientissimus erat, adeo ut cum cibo parcissime uteretur & multis interdum horis in templo esset, omnium aliorum Monachorumque oculos in exemplum actionum suarum opportunissime converteret. (a) Fuit enim Basilides pietati & rebus divinis addictissimus, uti de eo Autor Genealogiæ Magni Moscoviæ Ducis testatur, (b) & jejunia plerumque cum Monachis stricte admodum observavit cumque singularem Deo cultum præstituri terram fronte Russi percutiant, eam plerumque tuberibus plenam, sæpe etiam sanguinolentam atque lividam habuit. Quam tamen ejus pietatem infensi in eum Scriptores maximis presserunt suspicionibus & horrenda statim facinora ejus fingendo & exaggerando adjecerunt, ne hoc in puncto innocentia atque virtuti Basilidis aliquid dedisse viderentur. Si quando Popæ vel Metropolitæ crimen læsæ Majestatis commiserant, vel in vitam felicitatemve Basilidis conspicerant, poenam acerbissimam in eos statuebat, eam potissimum ob causam, ne Popis cæteris in malum cederet exemplum, qui facillimo negotio populum superstitionis in partes suas trahere inque Magnum Ducem extimulare poterant. Quemadmodum Episcopo Novogrodensi accidit, qui cum Elisio Bomelio Medico ex Anglorum natione contra Basilidem conjuraverat. Nec prætereundum esse censeo, quod favor Basilidis in Protestantium dogmata privilegiaque nonnulla iis concessa Clericis Russorum sine dubio displicuerint, utpote quorum superstitio exhorrescebat cæteras religiones tanquam sordidissimas impuritates.

(a) *Oderb. l. c. p. 320. fufus in Georg: van Hoff, fol. 8. (b) Script: Rev: Moscov. promiff.*

§. VI.

**Q**uibus cognitis facile colligere licet, quod Basilides in odium Clericorum venerit. Hoc autem causâ ignominiosissimæ infamiæ esse solet, quæ licet re ipsâ nullo nitatur fundamento plerumque tamen in plebejorum animos penetrat altasque agere solet radices. Quis nescit, quantas odium Papalẽ moverit turbas in Italia & quot onerati fuerint calumniis Imperatores Romani? Exemplo sit Fridericus II. cui sententiam de tribus Impostoribus, Magiam, blasphemias abominabiles atrocique scelera imputarunt, quorum nunquam ei in mentem venit. (a) Constantinum V. Imperatorem orientis infinitis convitiis a Clericis fuisse exagitatum quis ignorat? Cum enim venerationem Imaginum gentilissimum redolere diceret & intercessionem sanctorum ficulneum appellaret præsidium reliquiasque igne marique deleret, acerrimam Clericorum in se excitavit odium & inde Diabolorum cultor, Idololatra, Negromantiæ amans maximusque omnium Neronum Tyrannus audiit, (b) a quibus tamen criminibus liber fuit: ut Wenceslaum Imperatorem aliaque ejusmodi exempla silentio præteream. Eadem facta Basilides expertus est: Nam Pontificii Moscoviæ finitimi deblaterantes in Lutheranos, quoque in ipsum Basilidem detonuerunt, qui eorum partibus favere videbatur: dein ejecti Livonia Basilidis Tyrannidem & vituperium ubivis circumtulere factorumque suorum lenimenta vindictæque dulcedinem in exaggerandis tanti scilicet Tyranni criminibus quæsierunt, invenerunt. Nec ab ipsis Protestantium Clericis alia erant expectanda testimonia, ob bellorum quæ in eorum regionibus furebant, frequentiam & continuationem, de quibus infra.

(a) *Conf. Pet. de Vincis Epist. L. I. c. 31. p. 211. & passim. Durand Chron. in ascess. Histor. Illust. Leibnitz. ii p. 12. Paul. Diac. L. 21. 22. Zonaras T. 3. 139. p. edit. Francof. 1578. in fol.*

§. VII.

## §. VII.

**T**ertio ausam infamiae Basilidis dedisse videtur cautissima & circumspēta absoluti Imperii observatio & conservatio Proceribus Russiæ maxime molesta. Pauci enim sunt, qui herile Imperium a Tyrannide distinguunt: hinc accidit, ut omnes ii, qui dominatum exercent, in Tyrannorum numerum male referantur. Causa hujus rei hæc est, quòd herile Imperium multis mediis & consiliis utitur, quæ a Tyrannide male adhiberi solent adeoque cum eadem externam aliquam involvit similitudinem, non autem, ut loqui amant, identitatem. Tacitus hæc regni formas bene distinxit, dum Claudio Meherdatem præceptis regnandi Parthos instruenti hæc tribuit verba: ut non dominationem & servos, sed rectorem & cives cogitaret. (a) Adeoque herile & civile nascitur Imperium, quorum illud, ut in servos exercetur, (b) Utrumque alias requirit prudentiæ regulas, alia consilia, alios regnandi modos & quæ in regno civili admitti possunt, respuuntur in regno absoluto atque dominio. Cum vero non vulgaris de Tyrannidis & domini distinctione sit doctrina & nullus Politicorum accurate satis adduxerit notas illas, quibus differant, prudentiamque Imperii absoluti hæctenus nemo fusius delineaverit, facile inter sese miscentur & confunduntur. Principibus itaque, qui herili Imperio præsumunt, facillime ignominia Tyrannidis aspergitur, licet prudentissime omnia juxta rationem status regni despotici & herilis disponant. Maxime autem præter alias rationes ob duo id solet contingere præjudicia. Primum est, illum Principem esse Tyrannum, qui ad propriam utilitatem, non ad populi salutem omnia referat. Sequuntur hac in sententia Aristotelem & videntes, eos qui dominium in subditos exercent palam utilitatem domus suæ respicere & promovere, illos statim Tyrannidis damnant. Sed jam Boccalinus præjudicium illud risui exposuit ac ostendit, plerosque Principum hac ratione inter Tyrannos fore referendos. (c) Omnes & singuli propriam respiciunt utilitatem alii clam alii palam, alii liberius, alii cautius & occultioribus machinationibus commoda  
sua



sua venantur. Nam etiam apud Principes principium omnium actionum est amor sui, qui aliorum commoda promovet, ut sua promoveantur: nec improbandum, cum iste amor rite dispositus cum amore civium & Reipublicæ stare possit. Sic pacem desiderant & tranquillitatem, opes atque divitias civium, scilicet ne quicquam ærario decedat. Horrent bellum & miseras publicas, tanquam tributorum collationi impedimentum detrimentumque allaturas. Nimirum salus ac utilitas publica illa vocatur, quæ Principi prodest. (d)

- (a) *Tacitus L. 12. Annal. c. 11, alia & plura testimonia vid: in Grotio de I. B. & P. L. 1. c. 3. §. 8.* (b) *Böclerus Instit. Polit. L. 3. c. 2. p: 176. Conf. Arnisei Doctr: Polit. c: 9. p: 314. Conringius Diss. de regno & Tyrannide §. 15. sq.* (c) *Relat. ex Parnasso cent. 1. rel. 76.* (d) *Forstner: not: ad Tacitum L. 12. Annal. p: 188.*

### §. VIII.

Secundum præjudicium est: illum esse Tyrannum, qui invito populo imperat. Cum autem in absoluto imperio multi civium jugum illud servitutis ægre ferant & statum suum servilem cum conditione gentium libertatis assuetarum conferentes multas sentiant molestias animumque invitum variis argumentis prodant, non possunt non stante hoc præjudicio in eam devenire sententiam, ejusmodi Imperia esse Tyrannica & a Neronibus administrari. Verum enim vero, si ex voluntate quorundam vel totius populi sumenda esset nota Tyrannidis, sane multæ Monarchiæ multique Principum nomen suum amisissent, licet optime & pro necessitate Status Reipublicæ omnia gubernaverint. Imo bellis longinquitate productis Principes statim in Tyrannos degenerarent, utpote qui omnia tunc temporis invito populo imperant. (a) Quæ si rite perpendantur & cum Basilidis vita conferantur, facile nobis novas causas ignominiae, qua ille Moscorum Imperator premitur, explanabunt. Nondum plane coaluerat Mosco-

Moscovia in absolutum Imperium, a cujus norma seculis antecedentibus per indulgentiam Magnorum Ducum nonnihil aberrasse videbatur. Erant enim hinc & inde Duces vel Knessi, qui Provincias suas jure hæreditario tenere volebant. Summa itaque necessitas urgebat, ut illos transferret in alias provincias aliisque regionibus præficeret, ne fundamenta potestatis suæ ulterius corroborarent Provinciasque sui juris facerent. Illi tamen ægre hoc ferentes in necem & dejectionem Joann: Basilidis conspirabant, partim ad præcavendam, quam prætendebant, injuriam, partim ad ulciscendam. Inde turbæ, pericula, delicta, quæ acerbissimæ poenæ sequebantur. Plura moneri possent & ostendi, Basilidem prudentiam politicam Statui absolute accommodatam factis suis luculenter exposuisse, nisi prolixiori tractationi essent reservanda.

(a) *Conf: Pet: Gregor. Tholosanum de Republ. L: 6, c: 18. S. 15, p: 373.*

§. IX.

Quarta causa odii in Basilidem ejusque infamiæ fuit tolerantia exterorum favorque in Germanos, Anglosque, quorum fidem expertus erat. Hinc enim invidia, odium & tumultus nascebantur ipsis autoribus plerumque exitiosi. Audiatur hac in re Oderbornius: Germanos, inquit, ita amare solebat, ut non tantum arcana rerum & Reipublicæ administrationem magna ex parte cum illis communicaret sed adeo etiam studiose illos dignitate & muneribus ornaret, ut Magnatibus suis vehementer exterorum hominum fortunæ invidentibus responderet, Germanos omnino istis muneribus & dignitate esse perornandos, quos cognovisset militaribus disciplinis liberaliter eruditos & ministros Principum valde elegantes: nec tamen esse vaccarum custodes, ut Bojarii Moschici, qui moribus pessimis & corruptissimis in aulam advolare consuevissent. Exosa enim habebat suorum civium ingenia; utpote qui minus cultis moribus exterorum consuetudinem frustra imitari & barbaram animi morositatem adyersante natura emendare

clare conarentur. (a) Quem tamen amorem Tzarii postmodum frequens Livonorum perfidia, teste Petrejo, (b) una cum animo ejus mutavit, non tamen obstitit, quo minus Germanis in fide permanentibus vitæ alimenta stipendiaque benigne & sine fraude largiretur. (c) Aderat etiam illi per multos annos Britannicæ Reginæ nobilissimus Legatus, cujus singulari prudentia in omni graviore negotio, sicuti & consiliis in regenda Republica nudatis omnibus sensibus utebatur. Apud hunc de variis inter homines sectis & religionum professionibus sæpissime disputabat, ita ut & ipsum nonnunquam Pontum eadem de re differentem propensis auribus libentissime audiret. Erat enim in eo viro cum humanarum optimarumque artium, tum bellicarum etiam rerum peritia singulari longo usu & variis utriusque fortunæ experimentis comparata. (d) Quapropter eum in intimam familiaritatem recepit & arcana rerum tanta fiducia communicavit, ut in belli pacisque negotiis nihil omnino decerneret, quod ad Pontum prius non esset delatum, in quo magnam vim rationis atque solertiæ in expendendis absolvendisque negotiis admirabatur. (e) Exinde etiam probabiliter colligere licet, Basilidem prudentissimi hujus Legati consilia secutum tanta non patrasse facinora multaque a Moscis fuisse exaggerata, ut eo felicius infuscare possint peregrinos eorumque consilia Magno Duci suppeditata.

- (a) *L: 3. p: 319.*      (b) *Moscowit: Chron: P: 2. p: 251.*  
 (c) *Petrejus l: c.*      (d) *Oderb. L: 1. p: 258.*      (e) *Oderb: L: 3. p: 317.*

§. X.

Quinto notandum, in denotatione vitiorum & Tyrannidis in Basilide mores gentis Russicæ cum illius actionibus confundi eidemque adscribi, quod consuetudini nationis erattribuendum. Sic [1.] multi Scriptores querulantur de arctiore custodia, cui peregrini & Legati jussu Basilidis Moscuæ fuerunt inclusi, uti ex Ulfeldio aliisque patet. Nonnulli exinde eo dilapsi sunt, ut di-

dicant Basilidem Jus Gentium violasse. Sed consuetudo continua sic obtinuerat hæctenus in Moscovia, ut peregrini, quicumque etiam fuerint arctius custodirentur, ne partim expiscarentur arcana Principis partim suspecta Moscorum familiaritate uterentur. Audias Possevinum : Ne iis quidem, inquit, quos ille interdum ad Christianos Principes allegat, licet, ut eosdem, quos mutuo iidemmet Principes ad Magnum Moscoviæ Ducem mittunt, alloquantur. Quemadmodum nec Thomæ Severigeno licuit nobiscum loqui, amicissime licet & perhonorifice per Italiam V. Beatit : jubente a nobis deducto. Quod tamen eo mirandum est minus, quod Legatis quantum libet magnis etsi in civitate Moscuæ datur amplum hospitium, sic tamen est præaltis sudibus circumseptum, ut inde nec domos aliquas intueri neque cum ullo omnino loqui ne educere quidem ( ut & nostris aurigis accidit) ad aquandum equos possint. Sed nec ipsis Medicis (a) quorum duo tantum in universa Principis ditone sunt, alteri Italo, Belgæ alteri licet ægrotum invisere, nisi id Princeps concesserit. (b) Nec deest Russis excusatio, quæ hunc morem defendunt : nam poscente Rege Poloniæ per Possevinum, ut aliquot Mercatores Vilenenses præter omne jus in custodiam dati sibi traderentur, Mosci respondebant: Mercatores non fuisse captivos neque asservatos in ulla custodia, Pristavum tantum illis adhibitum fuisse, quos, ne quid damni acciperent, curaret. (c) [ 2. ] Male interpretantur Basilidi, quod multos rebellium vel aliorum, qui delictum aliquod commiserant, propria manu morti dederit pœnamque ipse ab iis repetierit. Sed ignorarunt Scriptores morem Russicum, quo Knessi Magnique Duces, si placebat, delinquentes ipsi plectere poterant ac solebant. Apud Moscos enim, uti apud Hebræos, Romanos, Anglosque (d) nulla iis contrahebatur ignominia vel crudelitatis nota, qui justitiam hac ratione exequabantur. (e) [ 3. ] Non imputandum quoque profano cuidam contemptui, quod Basilides per multos annos Eucharistia non usus sit : ritus enim Ecclesiæ Russicæ in culpa est. Quicumque enim tres jam uxores sibi conjunctas

junctas habuit, ut loquitur Baro de Mayerberg, (f) & cum eo omnes, qui de Ecclesia Russica tradiderunt, is quartam uxorem ad tertio viduatum thorum assumere non præsumat, nisi Eucharistiæ usu velit esse exclusus. Cum autem Basilides regno thronoque suo de Successoribus prospiceret & non quartam tantum, sed ut Oderbornius & Possevinus apertius testantur septimam duceret, vi Ecclesiasticæ disciplinæ a Sacra Synaxi fuit remotus. Ita de eo Possevinus: Eucharistiam non sumit amplius, quod ei qui plures, quam tres uxores duxerit, fas non sit ex eorum legibus Christi Domini corpori communicare. (g) [4.] Olearius, (h) Petrejus (i) alique insolentiæ superbæque ambitioni Basilidis tribuunt, quod primus aquilam bicipitem in insignia sigillaque Moscoviæ collocaverit, ut Sanguine Imperatorio cretus haberetur, Cæsaris titulum affectaret Imperiique Græcanici prætensionem apertius significaret. At vero Basilides morem Antecessorum secutus, aquilam illam in insignibus regni sui tantum retinuit, non introduxit. Baro enim de Herberstein ad Patrem Basilium a Carolo V. missus hæc de sigillo ejus refert: Tenebant, inquit, de Ministris Russicis literas, quas Princeps Regi Poloniæ daturus erat, confectas, sigillo appenso & eo quidem parvo ac rubro communitas: in cujus sigilli parte priore imago erat, homo nudus equo sine sella insidens hastâque Draconem transverberans: a tergo vero aquila biceps utroque capite coronato cernebatur. (k) Et sic in multis aliis a Scriptoribus scilicet consuetudinum Russicarum ignaris injuriam factam esse Basilidi, facile colligere & ostendere licet.

(a) *Simile exemplum de Medicis vid: in Mayerberg: Itin. p: 47.*

(b) *Possevin: de Moscovia p: 3.* (c) *Possev: l: c. p: 92. sq.*

(d) *Conf. Bodin: de Rep. L: 3. c: 8. p: 476.* (e) *Confer*

*ea, qua de ipso Carnifice leguntur apud Olearium Moscovit:*

*Reise, Beschv. L: 3, c: 20. p: 140. Sandrats Moscov.*

*p: 20. (f) Itin: in Mosc. p: 45. (g) l: c. p: 2. (h) l: c.*

*L: 3, c: 10. p: 112, cujus errorem sequitur Beckmannus Syn-*

*tagm:*

*tagm: Dignit. Diff: 7. c: 3. §: 7. p: 736. (i) Moscov:*  
*Chron: P: 2. p: 142. (k) Comm: p: 99. §q.*

§. XI.

**S**exto: Bella cum finitimis gesta memoriam nomenque Joann: Basilidis denigrarunt. Princeps enim bellicosus, qui vicinis regionibus bellum infert, eas in miseriam conjicit, hinc in odium incolarum incurrit, adeoque infinitis calumniis imprecationibus, maledicisque laudis obtrectationibus sese exponit. Sane, quid non Germani partibus Caroli V. addicti in Franciscum I. excogitarunt, qui conceptus Caroli de erigendo in Germania absoluto imperio opportune turbabat belloque eum hinc & inde vexabat. Quantis criminibus Belgæ Philippum II. onerarunt, qui eorum religioni insidiabatur. Quantas criminationes Secula nostra in Ludovicum XIV. bellis suis nostræ Germaniæ gravem finxerunt, qui tamen laudem prudentiæ exasciatæ aliarumque virtutum regio pectore dignarum etiam apud hostes meretur, gloriamque immortalem sibi acquisivit. Hic odii pruritus adeo invaluit in animis hominum, ut integræ nationes bellis sæpius inter se controversantes rarissime vera de se invicem perhibeant testimonia, Sic Dano non facile credendum in Historia Sueciæ, Sueco in Daniæ rebus, Gallo in judiciis de Hispano, nec Hispano de Gallis &c. Eadem ratio in Historia Basilidis observanda: Polonorum Livonorumque suspecta de Mosc:is sunt judicia, inprimis de Basilide, qui diuturna cum iis gessit bella. Hoc etiam innuit Pernistenius, asserens, solos Polonos Basilidem parvi facere. (a) Nec est quod objiciant, Basilidem bellorum occasionem evitare pacemque continuam conservare debuisse: hæc enim qui objiciunt, intricatum & amplissimum Monarcharum Statum juxta angustias domesticarum suarum rerum modulunque ingenii sui metiuntur non perpendentes, rationem Status Reipublicæ modo pacem modo bellum poscere eorundemque finem & dispositionem non esse in Principum potestate. Nec inspexerunt accuratius Statum Moscoviæ

vix sub Basilide, cui summa necessitas suadebat, ut Casanenses & Astracanenses sub imperium suum redigeret & Polonos debellaret, ne possessione Livoniæ ab iis deturbetur. Ipsum Livoniæ bellum, cujus injustitiam Historici tot vicibus Joann: Basilidi exprobrant, non adeo injustum est, uti Historicis videtur: modo perpendant, ejus initia & incitamenta non a Basilide, sed a temporibus Patris Basilii, imo Joan: Basilidis I. esse repetenda de quo alibi prolixius.

(a) *In Honorii Thes: Polit. p: 280.*

§. XII.

Septimo ansam infamiæ Basilidis præbuit Barbaries Ministrorum militumque, quorum facta Domino fuerunt imputata. Quemadmodum enim in bonis felicibusque actionibus omnia Principibus, non vero Ministrorum vel militum virtuti tribuuntur, licet isti sæpius non fuerint præsentés, sic quoque atrocia Ministrorum vel militum facinora non eorum ferociæ & malitiæ, sed Ducibus Regibusque adscribuntur, etsi sæpissime de iis aliquid ne quidem resciverint illaque ipsa scelera detestentur. Antoninus sane Philosophus Imperator Romanus maximam partem ignorabat crudelitatem suorum, qua Christianos persequebantur, contra quos animum ejus Christiani nominis hostes præoccupaverant; nihilominus ei imputatur. Immanitas Hispanorum in America, qui fere omnem regionem misere depopulabantur incolisque contra omnes prudentiæ politicæ regulas orbabant, ad aures Philippi II. maximam partem non pervenit, neque unquam ab eo fuit approbata: nihilominus illi tribuitur. Mommorancius ab Henrico II. Rege Galliæ ad sedandum tumultum Aquitanicum anno 1548. missus truculento animo privatos affectus in ultionem sævam exercuit specie vindicandæ regiæ Majestatis. Ejus asperitatem Henricus II. improbavit, utpote ab omni sævitia alienus, nihilominus illi fuit adscripta. Hac ratione Basilidi quoque multa tribuuntur Ministris tribuenda. Exemplo sit ratio excipiendi & tractandi Oratores ad  
Basili-

Basilidem missos: hi enim sæpissime partim in itinere partim in ipsa Moscoviæ metropoli inhumaniter habiti austeram in hospitalitatem experti sunt. Verum hoc non Basilidis culpa accidit, sed Pristavorum malitiæ erat tribuendum. Pristavi illi, qui Legatis tanquam Commissarii adduntur, eos in limitibus regni excipiunt, ubique comitantur & Legatorum alimentis prospiciunt, de propriis magis commodis, quam Legatorum commoditate erant solliciti. Alto supercilio advenas contemnebant & qui illorum superbiam avaritiamque spernere videbatur, illi quâvis data occasione maximas creabant molestias. Baro ab Herberstein ejusmodi Pristavo vel ut Jacobus ab Ulefeld exprimit, Præstablio improbitatem & insolentiam mira animositate retudit: Cum Procuratorem, inquit, negligentius cibum curare viderem, propterea, quod sese commeatum præmisisse responderet: ipse a matrefamilias cibum, quem libenter & justo pretio dabat, comparabam. Hoc ille ubi rescivit, matronæ illico inhibuit, ne quicquam mihi venderet. Quod cum animadverti, nuncium illius accersi, mandavique, ut Procuratori diceret, ut aut cibum tempestive ipse curet, aut emendi copiam permittat, quod nisi faciat, caput sim illi diminuturus. Novi, inquam, morem vestrum: multa conquiritis ex mandato Domini & hoc nostro nomine, quæ tamen nobis non porrigitis: ad hoc non permittitis, ut nostris sumtibus vivamus: minatus sum, hæc me Principi dicturum. His verbis minui illius auctoritatem, ita ut deinceps me non solum observaret, sed quodammodo veneraretur. (a) Jacobus ab Ulefeld tanta facilitate Præstabliorum suorum inhumanitatem reprimere non potuit, potius illorum insidias, avaritiam, invidiam & superbiam iteratis vicibus denotat & de molestia itineris sui ab iis excitata majorem in modum in Hodoeporico suo lamentatur. Nihilominus tamen Ulefeld ingentes illas molestias non Basilidi, sed potius privatis Præstabliorum affectibus tribuit: putabant enim illum belli causa advenisse. Ejusmodi prudentiam in judicando si omnes admisissent, Basilidem ab inhumanitate erga Legatos pronunciaissent liberum,



rum, inprimis si ponderassent: jam ante Basilidem Russos constitutam habuisse rationem sustinendi legatos, aliam pro Germanis, aliam pro Lithuanis, aliam pro aliorum Oratoribus. Habebant certum numerum & eum quidem præscriptum constituti Procuratores, quantum videlicet dent panis, potus, carnis, avenæ, fœni & aliarum omnium rerum, juxta numerum singularum personarum, sciebant, quantum lignorum ad culinam, item quantum ad vaporaria calefacienda, quantum salis, piperis, olei, cæpæ aliarumque minimarum rerum in singulos dies dare debeant. Eandem rationem quoque observabant Procuratores, qui Oratores deducebant & reducebant ex Moscovia. (b) Nec omittenda sunt, quæ Pernistenius hanc in rem de Basilidis erga Legatos benignitate observat: Poloni, inquit, soli ii sunt, qui ipsum parvi facere videntur, sed ipse eos deridet, inquiens, se possidere plus quam ducenta milliaria terrarum, quas iis abstulit, pro quibus recuperandis nunquam virile quidquam aggressi fuere: cumque Legatos ad ipsum mittunt, pessime illos tractat: (causam ipse vides in Polonis sitam) quæ res ab iisdem Polonis in itinere mihi prædicta fuit, quasi mei miserentur & multa incommoda annuntiarent: verum ab illo magno Principe tam honorifice exceptus sum, ut si Majestas Cæsarea me Romam aut in Hispaniam misisset, honorificentius tractari nequiverim: tamen non inficiabor, sæpe mihi dictum fuisse, diversimode illos tractare solere Legatos & amicos haberi, quemadmodum habitus sum ipse: at Polonos & quosdam alios, ut Tartaros & Turcas pro ipsorum meritis tractari, hoc est pejus, quam Turcæ nostros excipiant Oratores. (c)

(a) *Herberst: Comm: p: 91.* (b) *Herberst: l: c, p: 92.* (c) *In Honorii Thef: Polit, p: 292.*

§. XIII.

**M**ilitum ferociam quod attinet, bellorumque horrendas tempestates, fatendum est, quod bella in genere imputanda sunt Joan; Basilidi, cujus nimirum jussu irruptionis factæ sunt: atta-

attamen hæc vel illa facta vel crudelitatis genera a feroci milite patrata non possunt in notam Tyrannidis ejus accipi. Nam ut cum Bodino loquar, quæ in bellis scelera proscriptiones cædes supra incestus perpetrantur ad rerum publicarum interitus aut conversiones, non ad Tyrannidem spectant. (a) Miles quo usus est Basilides sæpius nulla ratione se coërceri patitur: Constabat enim Tartaris, Colaccis Russorumque plebe, qui vix ac ne vix quidem in felici armorum progressu intra cancellos disciplinæ militaris detineri poterant. Quod ipse Stephanus inficias ire non potuit, cum Possevinus illum diligenter rogaret, ut a tanti populi, quantus Plescoviæ est, cæde abstinere juberet, si ad civitatis expugnationem veniretur; id enim se quidem percipere significavit, sed, quod res est, futurum esse difficillimum dixit, quod miles ipso oppugnationis ardore inflammatus, ne sibi quidem, si velit, queat temperare. (b) Nee mirum, tot immanitates ab exercitu Russico fuisse commissas, cum ex barbaris compositus fuerit nationibus nil nisi necem & crudelitatem spirantibus. Ubique illi grassabantur, necem, ignem & desolationem circumferebant. Hæc autem omnia ad Basilidis Tyrannidem fuere relata, qui tamen sæpissime bello non interfuit neque militum ferociæ fuit conscius.

(a) *de Rep. L. 2. c. 4. p. 268.*

(b) *Possevin: de Mosc. p. 62.*

#### §. XIV.

**T**andem octavo: Historicorum, uti supra monui, credulitas, privatam odium, præconceptæque opinionis Tyrannidis opinioni de Joan: Basilide non leve attulerunt momentum. Calamus enim Historicorum Famae magnorum Principum & nocere & prodesse potest, positus sequentibus potissimum circumstantiis. (1) Quando regiones, quarum Historiam aliquis exhibuit, longe sunt distitæ: quicquid enim ejusmodi Historicus de iis vel in bonam vel in malam partem perhibet, ea non facile possunt refutari

adeoque, si modo non excedant omnem probabilitatem, facile assensum apud exteros inveniunt: Longe enim diffita discernere non facile possumus. Ubicunque ergo lecti fuerunt Guagninus & Oderbornius, fidem apud credulos exterarum regionum homines facile invenerunt, cum nemo e finibus Europæ facile aliam de Basilide relationem accersere potuerit. (2.) Quando de barbaro populo Historiam consignant, qui parum de conservatione revolutionum regni sui suorumque Principum gloria est sollicitus adeoque nullos ipse alit Historicos: hæc enim ratione nulla asservantur monumenta, quibus exteri Historici possint refutari. (3.) Quando pauci sunt qui eandem Historiæ telam pertexuerunt & Historicus quidam in sterilia incidit secula. Ejus enim Historia non potest conferri cum aliis nec ejus veritas facile infringi, nisi apertos falsitatis characteres in fronte gerat. (4.) Quando insuper Historicus speciem reconditæ veritatis præ se fert & Lectori persuadet, se ex specialissimis relationibus magnorum virorum Historiam suam conscripsisse: quod sæpius ii prætendunt, qui pruritu ambitionis incitati opellæ suæ applausum & auctoritatem conciliare satagunt. (5.) Quando aliquis Historiam suam præjudiciis alicujus nationis & præconceptis vicinorum opinionibus superstruit, adeoque Historiæ suæ nondum confectæ jam assensum promittere potest. Positis enim hisce circumstantiis impune nonnunquam mentiri licet & difficile est, veritatem a falsitate in ejusmodi Historiis secernere, ubi inprimis plures ejusmodi circumstantiæ coincidunt. Licet quoque affectibus suis aliquid dare, modo illi non tam crasse Lectori exhibeantur, ut primo statim intuitu Larva eorum conspici possit: eaque ratione Viris Principibus & virtutes & vitia tribui possunt sine ullo veritatis fundamento. Videas anne circumstantiæ istæ vel ad minimum plurimæ earum quadrent in Scriptores Vitæ Basilidis, de quibus supra egimus. Non quidem hæc mea de superioribus Scriptoribus est sententia, ac si in omnibus consulto Lectori mendacia obtrudere & posteritati imponere voluissent, sed illos affectibus suis abreptos a veritatis semita inopinato motu sensim-

sensimque aberrasse arbitror ob argumentorum pondera, quæ Tibi, Lector benevole, hætenus exhibui. Cum etiam Guagnini & Qderbornii de vituperio Basilidis Libri facilius in manus oculosque Lectorum incurrant, quam testimonia nonnulla Virorum gravissimorum pro innocentia Basilidis dicta atque hinc & inde occultata; eum quoque contradictiones istorum Scriptorum non statim primo intuitu cuivis Lectori pateant, nec accusationum infirmitas ob ignorantiam status Moscovitici Imperii consuetudinumque gentis elucescat, facile licet intelligere, cur Basilidis memoria tanta Tyrannidis infamia fuerit conspurcata & hætenus sine ulla contradictione omne ejus Encomium grassantibus undique illius vituperiis violenta quasi manu oppressum.

§. XV.

**A**ccedendum nunc esset ad specialem inquisitionem factorum Joan: Basilidis, describendus illius genius ejusque Character pro instituto nostro delineandus; dispiciendum foret, an filium encaverit & quamnam culpam Basilides hac in re sustineat; an fratrem e medio sustulerit, an sine ulla prægnanti causa ad solam explendam animi voluptatem Proceres imperii interfecerit, hominumque lanlenam temporis fallendi causa instituerit, an Libidini bestiarum instar fuerit deditus inque sexum foemineum lascivam, sed horribilem exercuerit crudelitatem. Videndum esset, an avaritiam incredibili studio foverit, an in conviviis, spectaculis lusibusque sanguine hominum luserit. Tandem investigandum foret, an circa ultima vitæ tempora Magiæ sese dedit, circa finem vitæ triplici, sed horribili ecstasi abreptus fuerit & demum cadaver ejus post ingentem Diabolorum tumultum disparuerit a nemine unquam repertum. Hæc & alia ejusmodi essent discutienda, nisi vererer, ne præsentis schediasmatis prolixitas justam excederet quantitatem, Quare mecum constitui, ipsam Historiam

riam Joan: Basilidis II. quæ ea omnia complectitur, juxta rerum  
gestarum serie consignare & ab affectuum squalore purgatam  
publice aliquando exhibere, ut eo luculentius patefcatur, Joan:  
Basilidem II. non quidem a vitiis abhorruiffe, nec morum elegantia  
fuisse exornatum, ignominiam tamen Tyrannidis ei non  
effe inferendam.

F I N I S.



